34-3.E.13. 76 2

EUSTACHIADOS
LIBRI SEX.

AUTHORE

BARTHOLOMÆO MANCINI
TARENTINO

Sacræ Theologiæ Doctore, ac Romæ Inſignis Collegiatæ S. Mariæ Reginæ Cæli in S.Lucia de Tinta Canonico.

Ad Illuſtriſſimum, & Excellentiſſimum
DOMINUM

D. PAULUM
BURGHESIUM

Ex Principibus Sulmonis, Roſciani &c.

BIBLIOT... VITTORIO ...



ROMÆ, MDCCXXVI. Ex Typographia Antonii de Rubeis.
SUPERIORUM PERMISSU.

34. 3. E. 13

Digitized by Google

Illuſtriſſimo, & Excellentiſſimo Domino

D. PAULO BURGHESIO

Ex Principibus Sulmonis, Roſciani &c.

BARTHOLOMÆUS MANCINI TARENTINUS S. P.

QUod tibi offero munuſculum, EXCELLENTISSIME BURGHESI, ſi ex ſuo merito, & dignitate expendatur, perexiguum eſt, & levidenſe: Si offerentis ex animo, ſatis pretioſum, & magnum. Epicum de D. EUSTACHIO *Martyre carmen, quod Tarenti in mea patria, cum a gravioribus vacarem ſtudiis, craſſo filo contexueram, nunc Romæ urſino morè lævigatum, pluriumque Eruditorum animadverſione ad meliorem formam a me redactum, ut in lucem edi permitterem, & votum meo tutelari*

nuncupatum, & plurimæ amicorum ſuaſiones me tandem impulerunt. Compertum mihi profectò eſt quàm hujus generis carmen ſit difficile, & arduum; quàmque hujus ſæculi ingenia in alienis laboribus acriora, & perſpicaciora eſſe videantur. Verùm quid facerem! Et vota non ſolvere, impium eſt; & amicorum ſuaſionibus non parere, inhumanum. Cùm igitur mihi, vel invito, id evulgare neceſſe eſſet; hanc volui inſcribendi tibi occaſionem arripere, tuoque optimo fulcire patrocinio, ut tua me tuente Aquila, latrantium morſus minimè læderent; & vigili protegente Dracone, maledici fugà ſibi conſulerent: Verum non hæc præcipua nuncupandi Excellentiæ Tuæ *hos labores mihi ratio inſurgit; non timor, ſed amor me cogit. Verè enim, & ingenuè fateor,* Excellentissime Domine, *cùm omnium, qui te aſpexerint, tecumque ſemel ſint collocuti, nemo ſit, qui te ſùmmo ſtudio, magnaque obſervantia colere non cogatur; Ego tamen, & ſi merito, ac dignitate omnibus cedam: animi ſynceritate, tuique dilectione tantum ſanguine conjunctioribus fortaſſe cedo, præterea nemini. Quamplurimis enim illorum te amabilem reddit oris, totiuſque corporis dignitas, quæ vel primo aſpectu ſibi hominum animos conciliat: aliis amplæ opes, & potentia; aliis perilluſtris ſanguinis nobilitas, &*

ſplen-

Digitized by Google

ſplendor. Ex ea enim Clarissima Burghesiorum Prosapia *natus es, in qua, veluti majora in cœlo ſidera, tot tituli, faſces, purpuræ, tiaræ, omniumque ordinum dignitates longè, lateque ita radios emittunt; ut, in extollendo ſupra invidiam* Burghesiam *amplitudinem, certaſſe inter ſe virtus, & Fortuna videantur. Sed non hæc omnia, licet ampliſſima, plurimique facienda, me movent. Alios habeant hæc amatores, aliorum alliciant voluntates. Excellens ego in te amo ingenium, in quo omnes ingenuæ artes mirum in modum veluti in feraci ſolo ſic efflorescunt; ut non a me eas accepiſſe, ſed ex te ipſe gignere, & proferre mira felicitate videaris. Prudentiam in te amo ſupra ætatem, mirificam in equeſtribus ſtudiis dexteritatem, morum candorem, omniumque denique virtutum ad miraculum ſpeciem. Ita enim in te (quod rariſſimum eſt) ſumma vitæ integritas, cum ſumma comitate, & facilitate copulatur; ut ſimul & integerrimi animi appareat candor, & leporum vireſcant amœnitates. Sed nolo plura, ne tuam laceſſiſſe modeſtiam videar. Unum addo; quod cum ab* Excellentissimo Patre Tuo, *Viro optimo, tibi inſerviendi, teque per ſtudia, florenteſque ingenuarum artium campos ducendi, mihi demandata eſſet provincia; in ejus juſſis abſolvendis, me non ſolum nullum ha-*

buiſſe negotium, nullamque paſſum eſſe moleſtiam; verum ob tuum progreſſum in magnam incidiſſe admirationem, magnumque mihi ſtudium, tuique obſervantiam peperiſſe. Quæ cum ita ſint Excellentissime Burghesi, *jure optimo me tibi offerre, Teque libenti animo hoc munuſculum debere accipere, nemo ibit inficias. Accipe igitur, & per otium perlege; namque, & ſi tibi heroicarum virtutum domeſtica non deſint exempla; immò potiùs ſuppetant: Habes enim tuorum majorum inclyta geſta, habes ante oculos tui Genitoris in percipiendo Scientiam, in proſpiciendo Conſilium, in regnis glorioſè adminiſtrandis (ut qui nuper* Prorex *in Regno Neapolitano) matura cum Prudentia Juſtitiam; habes denique in eodem animi Fortitudinem, Clementiam, atque inexhauſtam Munificentiam; in hoc tamen legendo, aliquid fortaſsè, quod non diſpliceat invenies. Invenies certè celeberrimum noſtræ Fidei triumphum, invictamque martyrum prò Chriſto Patientiam. Soſpitet te Deus; & quem in tuam clientelam prò tua humanitate recepiſti, eundem tui amantiſſimum, obſervantiſſimumque pro tua benignitate, tuo tuere patrocinio, tuoque amore proſequere. Vale, & vive ad tui nominis æternitatem.*

IM-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſs.P. Mag. Sac. Palat. Ap.

N. Baccarius Epiſc. Bojanen. Viceſg.

JUſſu Reverendiſs. P. Fr. Gregorii Selleri Sac. Apoſt. Palatii Magiſtri, librum cui titulus: *Euſtachiados Rev. D. Canonici Bartholomæi Mancini*: attentè perlegi, atque in eo cuncta veritati conſona inveni; & dum Heroicis carminibus Heroicarum virtutum Exemplaria canendo proponit ante oculos, à præſentis fuga, ad futuri ſæculi amorem, ſuaviter excitat Animum. Dignum ergo publica luce judicarem. Ita &c.

Datum Romæ in Collegio Sanctæ Mariæ de Victoria 14. Januarii 1726.

Fr. Leo à S. Felice Carmelita Excalceatus Sac. Theol. Profeſſor, & Sacrarum Congregationum Indicis, & Rituum Conſultor.

REVERENDISSIME PATER.

JUbente Paternitate Veſtra Reverendiſſima legi Carmen Epico-Sacrum *De Divo Euſtachio*, Auctore V. Cl. Canonico Bartholomæo Mancini, illudque non tantum piè, quod à multis, ſed & elegantèr, & poeticè, quod à paucis elaboratum inveni; Quaproptèr, egregium Opus, cum Fidei Dogmatibus, morumque integritati minimè adverſetur, luce digniſſimum cenſeo.

Romæ Kal. Februarii MDCCXXVI.

Michael Joſeph Morei.

IMPRIMATUR.

Fr. Gregorius Selleri Ord. Præd. Sac. Pal. Apoſt. Magiſter.

BAR-

BARTHOLOMÆI MANCINI TARENTINI,

Sacræ Theologiæ Doctoris,

EUSTACHIADOS

LIBER PRIMUS.

ARGUMENTUM.

Badiſi Euſtachius coleret dum villicus agros,
Concilio infernæ peſtes ad bella parantur:
Ignotum miſſi a Trajano è vulnere noſcunt
Romulidæ Placidum: pretioſis veſtibus ornant,
Antiochique petunt, multis mœrentibus, Urbem.

RÒmulei pia geſta Viri, duroſque labores,
Quotque graves caſus, terris agitatus, &undis,
Hauſerit ille Heros quondam; cum falſa priorum
Exoſus ſimulacra Deûm, patrioſque penates,
Immiti tandèm voluit ſuccumbere letho,
Ordiri eſt animus. Superas quæ numine ſedes,
Quæque maris,terræque plagas,atque omnia comples,
Huc adſis, Lux dia: fave, cæleſtibus auris,
Flagrantique ardore potens, ac lumine mentem
Imbue, & optatam cæptis da attingere metam.
Fas mihi cæleſti rapto dulcedine, divam
Voluere mente animam, præſtanti corde ferentem
Immanes Erebi inſultus, hominumque, ferarumque;
Et dignam ſuperis æternùm effulgere Divûm

Con-

Conciliis, merito redimitam tempora ſerto.
Nec minus, o faveas, pavidiſque allabere ceptis,
Dive, precor, Vatique tuo jam ſuffice vires.
Tù bonus aſpires, ſcopulos, ſyrteſque malignas
Des ſuperare: levi tentanda per æquora vento
Lintea, (namque potes) tenuis contende carinæ.
Burghesi, Italiæ juvenum decus, indole quando
Egregia, ingenioque vales, quibus ardua poſſis
Culmina Virtutis facili conſcendere curſu,
Me monſtrante viam, veterumque exempla canendo:
Ad noſtras libeat paulùm ſecedere muſas,
Et placidè exiguæ voces audire Camenæ.
Heroum te geſta ſequi decet inclyta; priſcos
Inter Romanos pietate inſignis, & armis
Hic longè emicuit: vires intende canenti
Ergo mihi; æternam ut pariant tua nomina laudem.
Teque ſuper magnos patriis virtutibus auctum,
Heroem proceres magnum mea carmina tollant.
Sic pia relligio Divûm ſpecioſa triumphis
Fulgeat, ætherias noſtris ſic æmula virtus
Cordibus incendat flammas: noſque ingerat aſtris
Cana fides, cæleſtis amor, ſpeſque alma futuri.
Eſt locus Ægypto (*a*) in media,quà flumine campos
Irrigat effuſo nigris ſpatiatus arenis,
Et ſeptigemino fluit agmine in æquora Nilus.
Badiſum dixere; latet ſed nominis author.
Dives opum tellus variarum; hic ubere campus
Fertilis, hic plenis pendens tumet uva racemis,
Atque oleæ, atque altis redolentia poma palato
Arboribus, placidæque cavis in vallibus umbræ.
Nec

(a) *Badiſi deſcriptio, ubi Euſtachius vixit.*

Nec minor eſt animis Clementia ; namque minaci
Dura ſupercilio non hic timet accola juſſa ,
Fallaceſvè dolis vultus , menteſve ſuperbas .
Non auri contorquet amor , non illa veneno
Lana Tarentino bis pota , rigenſque lapillis .
At bene fida quies , & fraudis neſcia cæcæ
Simplicitas , parvoque libens prædives egeſtas .
Has ſibi tùm ſedes atque hos habitare receſſus
Omnibus exutus curis , atque omnium egenus
Euſtachius ſuperûm monitis elegit : & iſtic
Cæleſtem in terris recolens ſine crimine vitam ,
Nudus opum , oblituſque ſui , qui indutus opimis
Exuviis quondam e ſolymis advenerat oris ,
Romuleos inter proceres præclarus , hiulcam
Incurvo exercebat humum ſub vomere , & ægris
Rorabant virides paſſim ſudoribus herbæ .
Illum cernere erat manibus nunc prima ferentem
Semina , nunc duro inſectantem gramina raſtro ,
Vellentemque obnixè herbas , ſenteſque tenaces .
Sæpe per herbiferi prærupta cacumina montis
Ducebat , ſeù propter aquas ad læta juvencos
Paſcua , ſæpe fimo glebas ſaturabat inertes ,
Aſſuetoque dabat fluvio per culta refluxus .
At quæ ſumma Viro pietas ! (*b*) at qualis amantis
Vivida vis animi , ſummiſque ſimillima Divis !
Agrorum ille inter cultus , operumque labores
Agricolæ intentus juſſis parere jubentis ,
Volvebat tacito ætherias ſub pectore curas .
Crebris ſæpe ciens ſingultibus aſtra , ſolutus
Vellet humo ſuperos animo penetrare penates ,
Col-

(b) *Euſtachii virtutes .*

Colloquiiſque frui, præſentiaque ora tueri
Cælicolûm, e viſuque Dei pendere beato.
Vertitur ut fædo in limo radicibus hærens,
Flammiferum ad ſolem Clytie, optatumque tuendo
Uritur impatiens numen; cùm flagrat ademptis
Nexibus uſque ſequi propius, propiuſque cremari:
Sic illi cohibent ingrato pondere mentem
Mortales habitus, capiunt ſic tædia vitæ
Cæleſtem intentum ad patriam: Sic corda ſuperno
Sole repercuſſa, ignitos ad ſidera motus
Continuè ingeminant. Nec ſpes cadit irrita, ab alto
Aligerûm nam ſæpe manus delapſa per auras,
Ruricolas inter juvenili in corpore vita eſt
Ejus adeſſe comes, laſſoque afferre levamen;
Atque obluctantes facilis prævertere caſus,
Obductoſque dolos, Erebi gens impia cæci
Quos illi falſa ſub imagine mille parabat.
Parte alia optatis reſpondent jugera juſtis,
Ingentique gemunt frugum ſub pondere rami.
Certatim hinc tellus, mitis vigor ætheris illinc
Arrident, curaſque ſuas placida aſtra ſecundant.
Verùm ille abjectus, vilique ſimillimus algæ,
Diffugit ora virûm, crebraſque per arva, per urbes
Exhorret laudes. Ter quinos protrahit annos
Romuleus vitam hic Heros, juſtiſſimus æqui,
Inque dies major pietate, profana colentes
Omnigenûm gentes inter ſimulacra Deorum.
Cùm Pater omnipotens, quibus inſpicit abdita rerum,
Luminibus, ſtygias ſolio ſpeculatus ab alto,
Infernaſque plagas, (c) videt implacabilis omnes
Pæ-

(c) *Inferorum Concilium in Euſtachium.*

ænarum facies, gemituſque, iraſque malorum,
tandem magnum penetrali in ſede Tyrannum.
ujus ad aſpectum ruere omnis viſa repentè
rtareæ gens nigra domus: ruit agmine facto
menidum ſcelerata cohors, Sphingeſque, Chimeræq;
ydræque, Scyllæque, venenatæque Ceraſtæ,
uotque ſtygem fera mōſtra bibūt, Acherōtis & undas,
idique convenere: ſedet Rex impius alto
ſolio medius, nutuque ſilentia ſignans,
rcuſſa tellure tricuſpide fulmine, tales,
orrendùm exclamans, prorupit pectore voces.
Quò res ſumma loco, proceres! fidiſſima noſtri (*d*)
ns Erebi, qui noſtra jacet metuenda poteſtas!
oſinè acies laſſamur? an horrida bello
gna hęc hoſte vacant, vitamque ſequemur inertem?
uæ veſtris dat parta animis victoria pacem?
uæ poſt evictum cælum dant geſta quietem!
licet egregiam laudem, & ſpolia ampla tuliſtis,
m mecum excelſo ejecti cecidiſtis olympo:
mque homini noſtræ ceſſit pars maxima ſedis!
c minus Hebræa juvenis (*e*) de ſtirpe, redemptum
x ſuperum humanam labem quem miſit ab alto,
uæ non huic regno, quæ non mihi damna paravit
uſquàm terdenos (pudeat meminiſſe) per annos!
ù noſtras in vincla manus dedit, ille priorum
tulit ætherias manes poſt funus ad arces,
faciliſque ſuis illò data ſemita reſtat.
uis erit finis? quæ ſpes me eludit, Averni
am regna ſuis torpent viduata trophæis,
etæque jacent tanta ad certamina vires!

Non.

) *Luciferi ad ſuos Oratio.* (*e*) *De Chriſto loquitur.*

Non ita, Badiſi vobis ſat cognita rura,
Euſtachiuſque hoſtis quanto ſeſe efferat auſu.
Ite modo, ite omnes; omnes intendite nervos,
Immaneſque iras, fraudeſque, aſtuſque, doloſque.
Vincendum; haud aliter veſtræ ſententia menti
Jam cadat: Euſtachius vobis impenſior hoſtis:
Incidat in laqueos, linquat benè cæpta, trahatur
In patrios ritus, cæli fruſtrentur honores.
Sin minus, ille hominum incautas prævertere mentes
Exemplo poterit, Chriſtique in jura vocare,
Chriſtiadumque ferè nomen vulgare per orbem.
His aderit, facilemque viam Trajanus ad orſus
Expediet, plures diverſa per oppida mittens
Illum quæſitum, quò cum compeſcat iniquas
Iſacidûm furias Romana in jura frementum.
Hinc,niſi vos pudor, & mens non abolenda malorum;
At timor, & tanti moveat reverentia ſceptri.
Vincendum, aut veſtro placanda eſt ira dolore.
Hæc ait, atque inhians ingentes faucibus ignes
Evomit, ignitaque domum caligine complet;
Proſpectu ſe ſe ſociorum in nocte trementum
Eripiens: horrore domus ſilet atra; nec ullus
Concilio, dictiſque patet locus. Altus ab aſtris
Quæ cuncta inſpiciens rerum ſcrutator, acerbas
Tartarei furias monſtri illudebat, & atrum
Concilium, quo damna Erebi, triſteſque ruinas
Jam fari audierat, quæque his majora timebat.
Mox lucem ſuper ætheriam, atque in lumine lumen
Cælicolis fundens, reſerat ſibi nota beatis;
Inque ſinu, quo cuncta modis fulgentia miris
Ordine quæque ſuo complectitur, indicat illis.
Pallerent equidem cernentes talia Divi,

De-

Deficerent horrore animi; ni tutus olympus,
Neſciaque humanæ cæleſtia pectora ſortis,
Damnorumque forent. Vario (*f*) ſententia ſenſu,
Diverſuſque tamen rebus ſuccurrit in actis,
Prò tali auxilio Divis modus. Ilicet omnes
Acciri Aligeri dura ad certamina vellent,
Inque acies Orci inſtructas: mittenda videtur
Alma Fides aliis, Pietaſque, & neſcia vinci
Vivida vis animi, ſuperumque exercitus omnis
Virtutum, inſanas Erebi qui comprimat artes,
Debelletque hoſtes: Aliis ſententia menti eſt,
Emeritum, rerumque actum tot caſibus illum
Ducendum ad pacem, meritaque in ſede locandum.
Quandoquidem miſeris una hæc mortalibus angit
Cura animum, regit humanos dum ſpiritus artus,
Dura pati, validiſque premi conatibus Orci.
Murmure ſic vario cæli lata atria complent,
Caſtigantque moras. Veluti ex alvearibus arctis
Vere novo, lectum flores, aut gramen euntes,
Rura;per, & colles, timidas niger occupat æſtu
Fumus apes: illæ intereà præſepia circùm,
Circùm aditus volitant,ſtrepituque,& murmure rauco
Tecta replent, ſi forte pedes efferre morando
Florilegos detur. Verùm ſtudioſa voluntas
Cælicolûm, impatienſque virum tot fraudibus ardor
Servandi è ſtygiis, ſuperique ſedilia regni
Augendi, hos ſummi ſenſus (*g*) in pectore Regis
Movit, & intentis ſic farier omnibus infit.

Quod ſtudium, Divi, quę animum in contraria curę
Præripiunt, ſævique movent verba aſpera Ditis?

Non

(f) *Cælicolarum cura de Euſtachio.*
(g) *Dei oratio ad cælicolas.*

Non eget auxilio Euſtachius , non arma ſupernæ
Sunt jam militiæ , vireſque , acieſque parandæ.
Unus at ipſe ſuam patiendo perficiet rem .
Spectaſtis non abſimili in diſcrimine quondam
Per varios caſus rerum, & Phlegetontis Jobum ,
Ducentem ſine labe dies , ſine crimine vitam ;
Et pietate gravem , placidè ue indigna ferentem :
Sic erit Euſtachius , Satana que adverſa ſubibit .
Major eò , effuſo tinget quod ſanguine palmam,
Horrentique ex ære cavo petet aſtra boatu .
Sic ait , & moto tremuerunt vertice cæli ,
Continuò ſtudium ſuperis , & cura quievit ,
Jucundæque adſunt vultu , plauſuque volantes.
Lætitiæ , & Choreæ , & Riſus , & Gaudia : circum
Exultant pedibus plaudunt , & Numen adorant .
Ecce autem occiduas feſſos vertebat ad oras
Phæbus equos ; tùm fortè unco exercebat aratro
Prædiolum Euſtachius , juxtàque tenerrima raſtro
Gramina , & herboſas frangebat pectine glebas
Turba lacertoſas dextras nudata labori .
Cùm procul inculto e clivo , quà ſemita ſerpit
Arcta per obliquum , & cultos diſcriminat agros ,
Illòrsùm ſpecies venientum apparet : anhelis
Eſſeda per tenuem callem devecta quadrigis .
(b) Jam campos tenuere rotæ , jam proxima tangunt
Prædia , & attonito ſpectantibus omnia viſu
Succedunt : jamque ora ſimul , facieſque , habituſque
Noſſe datur , propiuſque audire , & reddere voces .
Ingemuiſſe reor , triſtiſque ululaſſe Badiſi
Rura repentino adventu , ſtudioque Quiritum .

At

(b) *Romani a Trajano miſſi ad quærendum Euſtachium.*

At ſtupuit prorsùm gens ruſtica, quærere cauſas,
Scrutarique ardet, curviſque innixa batillis
Cunctatur, fallitque opera interrupta morando.
Tùm ſenior, ruriſque idem poſſeſſor amico
Obvius obtutu: (*k*) Juvenes (ſic fata ſecundent)....
Dicite, qui genus, unde domo, aut quò tenditis? inquit.
Quæ vos tempeſtas noſtras devexit ad oras?
Hæc tantum: officio prompti, dictiſque Quirites,
Poſtquam alternatim fidam dixere ſalutem;
Alter conſilio gravior reſpondet, & annis.
Non (*l*) nos tempeſtate acti, fatiſvè repulſi
Venimus huc, venerande ſenex; nè rere vagando
Niliacas petiiſſe plagas; verùm alite dextro,
Ut ſpero, & præfata canunt oracula Divûm.
Romulidæ nos, ambo armis, & origine clari,
(Si quid id eſt, laudumque capit tua corda voluptas)
Antiochus mihi nomen, & huic Maxentius; ambo
Ductores equitum, & conſaguinitate propinqui.
Tertius exacto completur tempore menſis,
Cteſiphontæo quo nos è littore miſſi,
Aſſyriam, Ægyptumque, Ducem de ſanguine noſtro
Querentes quendam Placidum, peragravimus omnem.
Ille erat ante alios Romæ imperterritus olim,
Seù pedes adverſum contenderet obvius hoſtem,
Sive reluctantis foderet calcaribus armos
Altus equi, & gemina hunc conjux cū prole ſequuntur.
Vos modo, ſi veſtras pervenit nomen ad aures,
Seù circùm errantem vidiſtis, dicite: quintum
Poſt decimum Phæbus jam circumvolvitur annum,
Cum patrios fines, charoſque, aulamque relinquens,

 Ex-

(k) *Ruricola ad Romanos.*
(l) *Romani ad Ruricolam.*

Exceſſit profugus, fato duce: Veſcier aura
Ætheria his terris fatorum arcana dedere;
Certior & nobis Conſus fuit author, & oras
Niliacas colere incolumem, fineſque Badiſi.
O quem ſæva trahit fortuna tenaciter! atros
Cui ſinit ire dies alio ſub ſolè! potentis
Ille olim imperii vigor, & vis vivida belli.
Non tali mihi viſa (ſenex tùm redidit illis)
Nomine, Romulidæ, nec gens audità; colendo
Ex quo longævus multos hic demoror annos.
Et quamquam Æneadum faſtus, terraque, marique
Bellantis populi nulli non cognita virtus,
Et Phæbi per utramque domum diffuſa poteſtas;
Haud tamen excepiſſe reor de gente Quiritum
Talem in rura virum, variis è finibus orbis
Externos inter, quibus hæc fuit hoſpita tellus.
Verùm ſi vobis tanti eſt; dum Phæbus olympo
Præcipitat, feſſiſque via intempeſta quietem
Nox ſuadet; ne parva, precor, magalia veſtro
Fraudate hoſpitio, atque ultrà vos cura repellat.
Namque aurora polo humentes cū amoverit umbras,
Mittemus certos vicina per oppida ad illum
Quærendum, & Nili luſtrare extrema finemus.
His dictis aſſenſi omnes: jam tecta ſubibant,
Et ſecùm vario greſſus ſermone trahebant;
Sed nequit illis Euſtachius comes ire, loquentum
Nec voces audire diù, (*m*) Placidumque vocantum:
Jam ſubeunt animo tranſactæ tempora vitæ,
Fædera amicitiæ multos ſervata per annos,
Et genus, & tituli, & cognati ſanguinis ardor.

Jam

(m) *Euſtachii timor de adventu Romanorum.*

Jam molles generant ſenſus, & viſcera torquent,
Nec lacrymas cohibere ſinunt, gemituſque frequentes.
Quid miſſi veniant, reputat, quis mittat? an illos
Egerit infauſti belli fortuna vagantes;
An ſibi divino accedant afflamine moti;
Annè aliqui lateant aſtus prædonis Averni.
Hos [*n*] inter curarum æſtus, animiqne tumultus
Accelerans greſſus nemorum per opaca, cavata
Sub rupe arboribus circùm, atque horrentibus umbris
Delituiſſe cupit. Votis hic numen amicum,
Quod ſibi præſidium ſperat, precibuſque fatigat;
Atque his incepit ſupplex. Sator alme, Deorum,
Atque hominum, cuique ima patent penetralia rerum,
Aſpice me, faciliſque juves. O quæ mihi cordi
Tempeſtas! quæ curarum vis mentem, animumque
Exagitans, miſerum cæcis me obvolvit in umbris!
Quid mihi, ni falſa deludor imagine, ab oris
Concives referunt patriis, quid, Dive, Quirites?
Ut vidi, micuere metu mea corda, profani
Subrepſere animi motus, fera bella cientes.
Non majora meas petiere ad prælia vires
Tartareæ furiæ; miſero ſuccurre timenti
Omnia. Tu mihi ſpes una, optatumque levamen.
O placeat metam colliment cœpta petitam!
Hæc ait, & genibus flexis, ac corpore toto
Cernuus, in lacrymas ſeſe ſolvebat obortas.
Cum novus ex alto veniens nitor, ilicet omnes
Disjicit è cæco tenebras caliginis antro,
Effuſiſque replet radiis loca ſenta: precanti
Dehinc olli e ſuperis [*o*] vox reddita fertur ad aures.

(n) *Ab illis ſe recipit, & orat.*
(o) *Vox è cælo ad Euſtachium.*

Aude, quid triſti aggreſſus formidine cedis?
Aude, athleta, novum tenè eſt expertus in armis,
Tenè umquam ignavum, trepidumque accepit Avernus!
Tendis ad emeritas palmas, patienſque vocaris.
Jam patrii fines, jam te Romanus ab armis
Victorem accipiet: natis, & conjuge parta,
Jam tandem optata dabitur ſuper aſtra corona
Purpureos inter proceres per ſæcla potiri.
Protinus his dictis ceſſit timor omnis, & unà
Oranti ſubiere alacres in viſcera vires.
Deſuper ille ſibi numen, ſuperumque vigorem
Agnoſcit, dulceſque ſonos, Dominumque loquentem.
Ac veluti æſtivo languentes ſidere flores
Cum rigat in tenues fuſus ſub veſpere guttas
Imber; odoriferos concepto humore per hortos
Luxuriare vides, zephyroſque fovere tepentes;
Sic hilaris, ſuperoque Heros afflatus amore,
Impavidus non damna timet, nec quæ inde ſequantur.
Sentiat anguicomas quamvis inſtare Sorores,
Infernoſque dolos, Tum oculos ad ſidera volvens,
Atque ambas cum voce manus: Non reddere dignas
Non opis eſt noſtræ, grates, mi dulcis amator,
Dulcis amor: tibi cælicolæ, quibus aſtra dediſti
Æternùm incolere, & ſuperi ſolia aurea regni,
Illi digna ferant; illi inter gaudia, circum
Cùm pedibus plaudunt ſolium, geminantque choreas,
Cùmque celebrantes Tè immenſum numen, & almum,
Sanctūque, immotumque vocāt, quoque nomine noſtro
Hymniferas ſolvant voces, grateſque rependant.
Hos ſæpe ingeminans iteratis vocibus hymnos,
Mille ſolo infixit pronus preſſa oſcula, mille
Ardentes gemitus, atque ignea dicta precando

In

Jn ſuperos miſit. Dehinc nota mapalia adivit,
Seſeque agricolæ dictis parere paratum
Miſcuit in numerum, & promptus data juſſa peregit.
Jamque exhauſta penus, (*p*) patuliſque effuſa caniſtris
(Delitiæ ruris, ſibi quas ſervarat herilis
Cura diu) gratumque cadis ſpumantibus hauſtum
Ogygium nectar, curas, longumque, laborem
Expellunt, dapibuſque famem ſylveſtribus explent.
Buxea ſpumeſcunt veteri carcheſia Baccho,
Et pleno, hoſpitibus qui præſidet, ore ſalutant,
Appellantque Jovem, Martemque, patrēque Quirinum.
Romulidæ indulgent vino, libantque frequenter;
De Placido ſed ſæpe rogant, rurſuſque requirunt,
Omniſque in Placido verſatur cura Quiritum.
Qui præſens ſua geſta audit; ſtudiumque loquentum;
Agnoſcitque ſibi cognatos ſanguine, & udis
Sæpe humeſcebat lacrymis, & ſæpe fovebat
Pectore compreſſos gemitus, latitanſque ſilebat.
Quiſnàm etenim prudens levibus conſideret oris
Indiciis, tantumque rudi ſub veſte latentem
Crederet Heroem, obſequio, tituliſque ſuperbum?
Illum cernere erat rigido ſquallentia tectum
Membra ſago, crudiſque pedes peronibus arctum
E' tauri exuviis: hyemis contracta flagellis
Tempora habet, ſiccaſque genas, hirtoſque capillos,
Quos gravis in nodum collectos cudo premebat.
Nec deſveta diu patrio ſermone loquentem
Verba oſtendebant; nec ſæpe rogantibus illis
De genere, & patria, nomen, caſuſque ſuorum
Ediderat; ſed preſſa Viri eſt ſub nomine tanti

(p) *Paratur menſa Romanis.*

Gloria, & Euſtachium ſeſe appellabat (*q*) Anicem.
Hinc poſtquam propulſa fames, caliceſque quierant,
Et placidam membris nox omnibus atra quietem
Suadebat, tacitoque ibant vaga ſidera lapſu:
Somnus ubique altus, pecudes, pictæque volucres,
Sylvæque, fluviique ſilentia tuta tenebant,
Atque ſoporifero languebant omnia rore.
Non tamen Euſtachio licuit tùm pace potiri;
Quippe timor, ſpeſque exagitant: ſecum ipſe revoluit
Qua valeat ratione Fidem, & pia jura tueri
Veſanos inter mores, rituſque Quiritum,
Et Chriſto fidam ſine crimine ducere vitam.
Quæ nuper promiſſa ſibi ſpes certa videndæ
Conjugis a Domino fuerit, natoſque ſub antro.
Natorum quæ tuta ſalus; cum viderit olim
Pendentes rabido trans flumina ab ore ferarum.
Et quæ Trajano fuerit jam cura Quirites
Ipſum mittendi per inhoſpita rura petitum.
Fluctuat his paſſim curis, his lumina ſomno
Arcentur: Stygiæ miſcent in pectore Diræ
Bellum immane, inſtant miſero, rapiuntque, trahuntque;
Diverſaſque petunt facies, diverſaque menti
Arma, doloſque movent pavidę, perque omnia tentant.
Verùm ille intrepidus qualis cum vertice montis
Quercus ab inſultu ventorum immota reſiſtit,
Irridetque hyemes, validoque in ſtipite ſurgit.
Actutum Dominum ſupplex, & poplite curvo
Rectorem tantorum operum, in partemque vocabat
Conſilii, certaque fide, ſuperumque favore
Eventura ſibi jam tum promiſſa tenebat.

Par-

(q) *Alludit ad familiam Aniciam ab Octavia; unde Euſtachius.*

Parte alia effuſæ lacrymæ, & ſuſpiria furtim
Euſtachii cænas inter repetita dolentis,
Et ſocialis amor, nullo delebilis ævo,
Et præfata Deûm monita, in diverſa trahebant
Auſonidum mentes, variaſque in pectora curas
Intulerant, vigileſque oculis renuentibus horas.
Illum etiam inviti Placidum fore rentur, & ægro
Secùm quiſque animo verſant: illum omnia firmant;
Et non panca legunt veteris veſtigia longè
Aſpectus Placidi, motuſque, habituſque decoros:
Cum ſubito exuta, Eumenidum quæ maxima, torvam
Tiſiphone [r] faciem, & tortos pro crinibus angues,
Numinis in vultus ſe ſe transformat amicos,
Cujus ab oraclo tulerant reſponſa; ſit æquus
Conſilio inceſſuque gravis, niveiſque capillis,
Inſignique humeros clamydatus murice [s] Conſus,
Atque ultrò tali incuſat ſermone jacentes.
Et vobis dixi, & repeto, fore grata Badiſi
Rura, fore exoſi metam, finemque laboris.
Quæ tenuere moræ? quæ vos ſententia vexat
In dubio! humanoſque hebetat caligine ſenſus!
Ni ſpecies ſubeunt animo, ni occurrit imago
Jam macie confecta, gravique exhauſta labore:
At lacrymas, gemituſque viri, & veſtigia priſcæ
Virtutis legite è vultu, & mihi credite tandem.
Conſus ego; num falſa meis retuliſſe putatis
Reſponſa ex adytis, voſque illuſiſſe precantes?
Illum ſigna notant. Aſphali in littore vulnus
Acceptum [veſtro ceſſit ni è pectore] dextro

(r) *Tiſiphone in Conſum.*
(s) *Conſus conſiliorum Deus ad Romanos.*

Illius in tergo inſpicite, & mea dicta probate:
Nam Placidi indicia Euſtachii ſub nomine habetis.
His monitis ſubito tenues exceſſit in auras
Triſtior inſidiis peſtis, ſeque intulit umbris,
Illos deſtituens animis pavitantibus ægros,
Spemque, metumque inter. Qui mox, ſuperante timorē
Lætitia, atque hilares addente in pectora ſenſus,
Corripere è ſtatis certant ſua membra, feruntque
Secum viſa, moras ægrè, tenebraſque ferentes.
Per noctem veluti deluſus imagine ficta
Pauper, opum cumulo, ſubito telluris hiatu,
Defoſſaque æris glebba cui ſæpe potiri
In ſomnis datur: ille moras caſtigat, & æger
Cunctando, effodiſſe ſolum, inventaque videtur
Lætari gaza, ærataque recondere in arca.
Sed jam venturæ lucis prænuncius ales,
Arguto [*t*] incuſans umbras, & ſidera cantu,
Humanos artus opera ad ſubeunda ciebat.
Irrumpunt aditus Romani, in tecta feruntur
Euſtachii, extollunt ambas ad ſidera palmas,
Et Placidum inquirunt: inventum amplexibus arctant;
Voceſque ingeminant, Placidumque iterata requirunt
Gaudia, & effuſi jucundo è pectore fletus.
Lætitia attoniti agricolæ, tantoque tumultu,
Conveniunt, latèque caſas, & compita complent.
Nudato ex humero inflictæ veſtigia plagæ
Certa [olim ſuccos, medicumque dediſſe levamen
Cui meminere] legunt: laxiſque ad gaudia linguis
Ecquæ tanta tibi, Placide [excepere [*u*] Quirites]
Te

(t) *Cognoſcitur à Romanis Euſtachius.*
(u) *Romani ad Euſtachium.*

Te noſtro fuit aſpectu, quæ cauſa, trahendi?
Quod noſtrum crimen tantum meruiſſe rigorem
Hunc potuit, nos optatis quo amplexibus arces!
Quò noſtri tibi ceſſit amor? te pellere cælo
Sors patrio valuit, fatiſque urgere nefandis:
Te jactare diu per inhoſpita rura vagantem;
Non verò è fido priſcos reſcindere amores
Pectore, non tantorum operum delere labores,
Quos tua centeno divulgat fama metallo.
Noſceris en tandem: hoc nobis data juſſa repoſcunt,
Hoc ſocialis amor. Seù te fata aſpera vexent,
Seù facili aſpiciant vultu; quocumque feraris,
Nos te ſurgentem ad ſolem, ſolemque cadentem,
Nos vel ad infernas ſectabimur uſque tenebras.
Trajani te vota petunt, patriique penates,
Te charorum amor, & meritæ virtutis honores:
O, lacrymas cohibe, & duræ obliviſcere ſortis.
  Talia fundebant, lacrymæque ex ore Quiritum
Verba inter media Euſtachii per colla fluebant.
Non tamen amplexu ſincrent divellier unquam,
Nec lacrymis, dictiſque modus: ni talibus ille
Siſteret, intentos (x) contrà, & ſic ore referret.
Has lacrymas, inquam, chari, gemituſque dolentes
Nè veſtris mea fata trahant è cordibus, unum eſt,
Quò patrios fines, & dulcia liquimus urbis
Mœnia, Trajanique domum, amplexuſque meorum.
Parcite jam, Placidum, quem me quæſiſtis, habetis.
Nè ærumnas, precor, ærumnis ſuperaddite, triſtes
Ne miſero angores: nimium me ſortis iniquæ
Heù nimium urgerent caſus, ni ducere vitam

Ex-

(x) *Euſtachius ad Romanos.*

Extorrem eligerem, nulliſque doloribus actam,
Ni mihi quos uni fortuna tenaciter auget.
Quíd partiri aliis? quid in hoc peccaſtis, amici?
  Plura loqui non paſſus amor, voceſque Latinorum,
Amplexuſque, datique hilares (y) ad ſidera plauſus.
Ruricolæ tanta rerum novitate viciſſim
Obſtupidi miſcent fletum inter gaudia, lætas
Extollunt voces; verum ſub corde prementes
Verba, diù effari renuunt de more, nec audent
Majeſtate viri arrepti, ſubitoque timore,
Compellare illum, fidoſque expromere ſenſus.
Eminus intenti pendent ex ore loquentis,
Solantiſque omnes dictis, charoſque vocantis.
Actutùm vili nudatum corpus amictu (z)
Coccinea decorant chlamyde, intextiſque lapillis.
Baltheus ex humero ſuſpenditur aureus, enſem
Cui benè fulmineum curvato fibula morsu
Subnectit, lævumque latus præcingit, & armat.
Et criſtatus apex,serieſque in torque coruſcis
Aſpera margaritis rutilat; tùm dextera eburno
Baccatoque micat ſcirpo, inceſſumque regente.
  Badiſum intereà, & vicina per oppida paſſim
Fama incredibili rerum ſermone vagatur.
Attoniti accurrunt cives, remque ordine diſcunt,
Nec mentes explere valent; mirantur ad unum
Egregias animi dotes, tam ſanguine claro
Auſonidum, tantumque virum ſub paupere tecto
Ingratos potuiſſe dies agitare, coloni
Juſſis ſtare, diu deſpectum, humilemque putari.
Hinc

(y) Ruricolarum ſtupor.
(z) Euſtachius ſplendidè induitur.

Hinc honor, hinc exacta viro reverentia ſurgit,
Hinc amor, & pietas. Omnes piget arva colenti
Non illi è manibus raſtrum rapuiſſe, laborum
In partem renuiſſe ſequi, vultuſque verendos,
Moreſque, & pluſquam vilis data ſigna coloni
Uſque adeo incautos non agnoviſſe. Quiritum
Verba dehinc majus ſtudium ſpectantibus addunt,
Majus & Euſtachio nomen. Scitantibus illis,
Quænàm tanta virum per inhoſpita rura petendi
Cauſa foret, quæ inventum ad fortia agenda vocarent
Euſtachium: ſtupidas reſponſa feruntur ad aures;
Trajani juſſu imperii moderantis habenas,
Diviſque auſpicibus, ſe illuc veniſſe, petitum
Tot poſt errores Placidum, pars maxima belli
Cui credenda foret, tantæque negotia pugnæ;
Quique & Judæas acies, populoſque rebelles
Vi ſuperet, quos Cyprus alit, Syrtiſque Cyrenes.
Addunt ſe comites quocumque adduceret, ævo,
Aſpectuque pares gemini ſenioris alumni,
Sylvius, & Corybas: quorum prævertere ventos
Alter conſuetus curſu, & ſuperare paleſtra:
Alter multiplici vibrare per aera gyro
Saxa levis fundæ, vacuoque ſub æthere pennas
Præpetis in medio volucris reſcindere lapſu,
Aut animam eripere, & cælo demittere ab alto.
Jamdudùm illos Euſtachio cùm fædere junctos,
Tùm curarum ambos ſocios addixerat almæ
Relligionis amor, veræque edocta ſalutis
Jura, refellentes cultum, rituſque Deorum,
Vana ſuperſtitio cultis quos legit ab hortis.
Acciperet ſpontè Euſtachius, comiteſque probaret:
Sed qui Coricii [ſenior ſic nomine] ſenſus?

Quoſ-

Quoſque daret gemitus ? miſeratus inutilis ævi
Mœrorem Euſtachius, renuit, monuitque precando,
Nè ſinerent ſenio exhauſtum, & cui proxima vitæ
Meta foret, tanto properare ad funera luctu,
Nevè pati miſerum hanc curam; qui lumina condat
Deſit ut extremo ſomno, decoretque ſepulchro.
Lætitia Auſonii effuſi, votoque potiti
Accelerant reditum venturi ad lumen Eoi.
Per noctem interèa magnus quot regna, quot hoſtes
Subdiderit ſceptro Trajanus, quæ aſpera paſſus (*a*)
Bellando, Euſtachium diverſo marte Latini
Ritè docent. Ut cùm Armenios, Parthoſque fugaces
Fuderit, immiſſaque rubri per turbida Ponti
Æquora claſſe, plagas audax penetrarit Eoas:
Utque auſus ſaxoſa Iſtrum ſub mole tumentem
Frænare, & late populos vaſtarit, & urbes:
Et jam Roma ſuos ſpectet mirata triumphos,
Marmoreis mira arte legens tot geſta columnis.
Nec minus enarrant quæ magna Hadrianus in armis
Ediderit, quanta & virtute evicerit hoſtes,
Quæque illi faveant acies, moveantque cohortes
Imperium in magnum, & ſceptri in moderamen aviti.
Jam croceis matuta rotis ſurgebat ab ortu;
Cùm ſe Romulidæ è ſtratis attollere, & altis (*b*)
Ducere equos ſtabulis, frænumque imponere, aurum,
Diſceſſumque parare: ruunt facto agmine mœſti
Ruricolæ, ruit ante alios mœſtiſſimus ævo
Invalidus ſenior, greſſuſque agitare ſeniles
Corycius viſus, geminoſque accerſere alumnos.
At-

(a) *Romani de geſtis Trajani Euſtachium edocent.*
(b) *Euſtachii diſceſſio.*

Atque his exclamans inter gemitumque,doloreque;(c)
Ut primùm potuit, dataque eſt via vocibus, inquit.
Chare, quis e noſtris, heùheù, te finibus arcet?
Quis ſubitus rapit hinc caſus! Tu dulce cadentis
Longævi ſolamen eras, ſpeſque una ſenectæ.
Tu pecudum, arvorumque vigor; mœrentia curis
Pectora quis dulci alloquio, auxilioque levabit?
Quis miſerorum artus, vireſque fovebit amica
Languentes ope, & ærumnas prævertet iniquas?
Heu minimum Badiſe, tibi fortuna, Quirites
Heù nimium invidia valuere. Quid arva colendo
Agricolas verſare juvat! quid limifer alveo
Diſcurrens pleno, fælici uligine campos
Fæcundat Nilus! flebit ſine fructibus arbor.
Squallebit ſine flore ſolum, ſine ſemine tellus.
Ibis, & o numquam te noſtra hæc rura videbunt!
Nec te iterum viſo claudent mea lumina Parcæ!
O mihi præteritos ſuperi dent volvere curſus:
Non te deſererem, atque amplexu evellerer umquam,
Obtutuque tuo. Longos ſed inutilis annos
Demoror, & cæli indignor convexa tueri.
Vos ite auſpiciis melioribus, ite: ſequantur
Felices auræ, felicia fata, ſecundi
Cælicolæ, quorum ſub numine Roma triumphat.
Vive precor, Placide, & ſummis te fama trophæis
Æternùm celebret, referatque per æthera nomen.
Hæc ſenior lacrymans diſceſſu dicta ſupremo
Fundebat, ſimul Euſtachii, ſimul ora duorum
Complexu repetens, nec ſe divellere quibat. (d)
Sunt

(c) *Oratio Senis ad Euſtachium.*
(d) *Ruricolarum munera.*

Sunt qui grata ferunt manibus munuſcula plenis,
Mitia poma, cadis ſpumantia vina picatis,
Cynnamaque, & ſuavis diffuſa opobalſama ligni
Corticc. Candentis ſenior cælata ſub auro
Euſtachio dat habere eboris duo pocula: miræ [e]
Artis opus, variis circùm fulgentia ſignis.
Huic labor empyreum: bis ſenis aurea bullis
Zona, per obliquum quà dirigit igneus axem
Phœbus iter, certoque regit ſua tempora motu.
Stat glacie borealis hyems, ſtant veris honores
Florea rura, coquit rabidis hinc Sirius herbas
Ignibus, hinc gravidis præcinctus tempora ramis
Frugifer autumnus, nimioque evictus Jaccho.
Ordine quæque ſuo fulgent vaga ſidera: ſævos
Terrificant vectoris equos fera monſtra ferarum.
Haud procul effulget geminis argentea Phæbe
Cornibus: inde Jovis ſoboles Cyllenius ales:
Et Venus orbis amor, longèque coruſcus in armis
Mars ferus, & puro ſimilis ſua limina fundens
Juppiter argento, quorum tenet ultima tardis
Falcipotens Saturnus, agens ſpatia ampla quadrigis.
Par opus alterius: juſtis ubi machina mundi
Stat ſpatiis diſtincta ſuis. Spectabile quidquid
Maximus ille Sator rerum, ſeù quidquid amico
Ingenio fæcunda parens natura creàvit,
Cernitur hic. Celſo conſurgunt vertice montes,
Imæ ſubſidunt valles, nemora alta vireſcunt,
Murorum ingentes urbes, atque oppida circùm
Aggere vallantur, pinniſque ingentibus horrent.
Fluctuat hic clauſus, ſtrictiſque per omnia currit
Mar-

(e) *Duorum poculorum deſcriptio.*

Marginibus pater Oceanus: ſed colligit arcto,
Inque ſinu fovet exiguo labentia fluxu
Flumina, & albeſcunt perfracta aſpergine cautes.
Nec deſunt ſcopuli, ſuſæque per æquora ſyrtes,
Nec ſaxa Ægæo in medio, & vada fervida curſu.
Hic Cyprus, hic Rhodus, & centum digeſta per urbes
Creta, hic heroum felix ſeges illa triumphis
Inclyta Threiciis Melite, atque audacibus orſis.
Tùm neque nomen ei, ſtudiisvè erat inclyta belli.
Hæc modo Corycius cunctis ſpectantibus illi
Obtulit illacrymans chriſendeta, pignus amoris
Atque ſui dedit eſſe; ſuper tùm talibus inquit.
Sint tibi, chare mei, Placide, hæc monimenta Badiſi,
Sint tibi Corycii: quid enim pretioſius iſtis (f)
Nos dare poſſe putas, Placidoque offerre merenti!
Hæc quondam [Auguſti inſidias Ægyptia conjux [g]
Cum fugeret, comitante viro] inter millia fuſus
Dux, quiſquis fuit ille, gravi cui cuſpide tergum
Transfoſſum, retuliſſe meis pro munere fertur.
His quoniam fidos inter latuiſſet in oris,
Solamenque mali, medicoſque ad vulnera ſuccos,
Et, quam deſperabat, opem, accepiſſet ab illis:
Ex illo ſervata, manus liquere Priores
In noſtras; ſed enim tumuli mihi proxima meta eſt,
Tecùm habeas, quemcumque ferent te fata per orbem.
Jamque iterum valeas, noſtræ pars maxima vitæ.
His ſuper exoritur longus per compita fletus
Ruricolas inter: cunctos contingere dextras [h]
Co-

(f) *Senex offert Euſtachio pocula.*
(g) *Cleopatra.*
(h) *Fletus ob diſceſſum Euſtachii.*

Cogit amor, longèque ſequi, facileſque precari
Cælicolas. Sunt ſacra Deûm qui altaria complent
Supplicibus votis, plena & venerantur acerra.
Quos bonus Euſtachius dictis ſic ora reſolvens,
Solatur, verbiſque omnes dimittit amicis. [i]
Certè invitus ego veſtris divellor ab oris:
Invitus, Badiſe, tuo de littore cedo.
Dulcis ubi mihi parta quies, ubi mite tot annos
Caſibus adverſis licuit jam pace potiri.
Non me Roma trahit, non me Trajanus; Olympi
Ille quidem Rector veſtris è finibus arcet.
Ille vocat, cui ſumma hominum, Divûmque poteſtas.
Illi ergo date rite preces, & vota precantes.
Annuat ut facilis cœptis, tantoſque labores
Numine dignetur, firmetque benignus amico.
Jamque vale, venerande ſenex, ſociique valete.
Vivite felices Corybas, Sylvique Sodales.
Hæ ubi dicta, citas conſcendunt ritè quadrigas,
Ingentemque illic lacrymantum, & multa volentum,
Dicere deſtituunt numerum: trahit eſſeda collo
Sollicitus flagris ſonipes: volat axis habenis
Demiſſis, ſolidumque fuga quatit ungula campum.

Finis Libri Primi.

EU-

(i) *Euſtachius ad Auricolas.*

EUSTACHIADOS

LIBER SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

Antiochiam adeunt, Placido comitante, Quirites.
Excipit hos hilaris Trajanus, & inſtruit armis.
Speluncam ſubit Euſtachius, remque ordine narrat
Chriſticolis, ut venando inter cornua cervi
A Domino edoctus, ſacris ſe aſperſerit undis.

ERgo iter ingreſſi, Euſtachio comitante, Latini
Badiſum liquere, Ægyptum, atque oſtia Nili
Sæpe recreſcentis, feliciaque ubere culta.
Rurigenæ è ſpeculis oculis rorantibus illos
Proſpectant, votiſque piis comitantur euntes,
Euſtachiumque vocant; cujus licet ora tueri,
Alloquioque frui nequeant; deferre per agros
Facta tamen, nomenque diu vulgare juvabat.
Hæc domus, hoc Placidí eſt raſtrum: ſic ille comantes
Arboribus frondes reſcindere ſæpe ſolebat.
Hàc agere ad fontem pecus, illàc ardua tauri
Subdere colla jugo, & vacuas verſare novales.
Pars ſtupet effigies nunquam coluiſſe Deorum,
Nec templis, ſacriſque inter de more fuiſſe,
Invento dùm ſacra Api dabat annua pubes.
Sed quis eum ſcelere incuſet, cui cuncta faventes
Impertiſſe vident ſuperos, votiſque ſecundos!
Pars, ille officiis qua ſe ratione parandis
Geſſerit, atque olim caſus quo everterit omnes
Conſilio, memorans, Divos in vota vocabat,

Æternamque illi ſpondebat ab æthere laudem.
Qui ſyrtes, tractuſque maris nocteſque, dieſque
Menſus, & horrendis undis, ſcopuliſque ſubactis,
Aſſyriam tandèm penetrat: mox cognita longè
Littora, & excelſæ Antiochiæ ad ſidera pinnæ,
Tùm caſtra, & facili volitantia ſigna ſuſurro;
Romanas Aquilas, Trajaniqne arma ſalutant.
Sed quis [a] nubivago curſu, & pernicibus alis
Actutùm induxit totam te, fama, per urbem
Nuncia! quis tanti adventus ſpatioſa replevit
Atria Trajani, cupidoſque coegit ad unum
In portum cives! Erebi implacabile monſtrum
Alecto: illa quidem, & ſecùm Cocytia pubes,
Noctipotens manus, obſcuro præmiſſa barathro;
Perque vias, perque alta Ducis diffuſa vagando,
Limina, complevit latè rumoribus aures.
Hæc cogi ſuadet læta agmina, nobile cultu
Servitium, & circùm plaudentes undique cætus;
Quò plauſu accipiant venientem, ac inſtar ovantis,
Euſtachiique trahant pia corda ad laudis amorem.
Tiſiphone [b] humana rurſus ſub imagine Tarſus
Militiæ apparet princeps, qui nuncius altæ
Ingreſſus penetrale domus, ſub pectore curas
Trajanum haud paucas belli, ſceptrique moventem,
Adveniſſe diu optatum, portumque tenere
Edoceat Placidum. Suſtollit ad æthera palmas
Ille, ſimulque duces [c] mittens, ſimul ordine primos
Obviam adire jubens proceres, lætaſque cohortes,
At-

(a) *Alecto adventum Euſtachii prænunciat.*
(b) *Tiſiphone in Tarſum induta; de adventu Euſtachii Trajanum edocet.*
(c) *Lætatur Trajanus.*

Atque ingens famulantum agmen,pictaſque quadrigas.
Tectorum in primo venientem limine lætus
Cunctatur tanto ſubeuntem alta oſtia faſtu.
Fervet iter ſtudio currentum, illumque vocantum,
Amplexuſque, hilareſque manus, & mille patentis
Lætitiæ addentum plauſus. Verùm ille ſupernas
Mente agitans ſedes, cæleſtiaque atria, fertur
Inceſſuque, habituque gravis, vultuque decoro,
Et quem ſumma Dei tangit reverentia. Lætis
Hos dictis, illos nutu cognoſcit amico.
Hinc ducis ut ventum ad ſedes, utque ora tueri
Cominus, atque datur dextris confundere dextras;
Ille [*d*] prior molli ſuffuſus lumina fletu,
Veniſti, incepit, Placide, expectate! ſubivit
Jam mentem patriæ pietas, & pectora movit
Non ingrata tibi imperium moderantis imago!
Ut te vix prorſum agnoſco, notoſque videre
Vix reor ut vultus! quæ te ſors impia adegit!
Seù quibus exoſus patriam tu te ipſe dediſti
Caſibus exilio? meritis nùm Roma negabat
Præmia digna tuis? noſtra nùm vilis in aula
Tot proceres inter? Verùm meliora ſequentur,
Et noſtra [exactæ nunc jam obliviſcere ſortis]
Si qua eſt imperii, penſabit damna, poteſtas.
Nil contra Euſtachius; ſed dextrà, arctoque ſolutus
Complexu, ad genua incurvus reddebat honores.
Tũ ſtudio agglomerant omnes, proceresque,duceſque,
Quique olim officio, & conſanguinitate propinqui,
Accipiunt, redduntque fidem, colloque viciſſim
Pendentes, lacrymis lacrymas confundere gaudent.

(d) *Trajanus ad Euſtachium.*

Nec jam finis erat, juſſu ni abduceret illos
Ulpius, & : Tandem officiis ſit terminus, inquit,
Et ſua quiſque, vices dum nox ſubit aucta diei,
Tecta petat: rerum moles, & tempora cogunt
Hæc alio differre: via, & tot caſibus hauſtus
Sit modo nobiſcùm Placidus, feſſaſque paratis
Inſtaurare epulis vires accedat, & aureis
Laxentur dulci in ſtratis ſua lumina ſomno.
Hæc ait, & ſecùm, dimiſſis omnibus, unum
Euſtachium excipiens, penetralia in alta receſſit.
Poſtquam languentes pateris, dapibuſque refectæ
Sunt vires, de re imperii, bellique tumultu
Edocet Euſtachium [*e*] Trajanus, & ordine pandit
Quæ regio hoſtiles acies, ſervetque rebelles.
Qui locus acceſſu haud facilis, quas miſerit illùc
Pugnatum fruſtrà gentes, validaſque cohortes,
Quotque duces Orco indomitus dimiſerit hoſtis.
Audiit Euſtachius, farique hortatus, abundè
Sic qua confieri poſſit ratione, quibuſque
Ritè quod inſtabat conatibus explet; ut armis,
Conſiliiſque gravem imperii fulcimen amicum
Noverit eſſe ducem rebus Trajanus in arctis.
Ergò his compoſitis partim, lucemque redactis
Partim in venturam, placido nox humida ſomno
Suadebat feſſos animos, curaſque levabat.
Jam dulcis tibi ſomnus erat Trajane, quietem
Jam gratam tanto carpebas conſule; verùm
Non illi hoc licuit, ſummi cui cura Tonantis
Una fuit. Supplex, lacrymiſque effuſus obortis
Te petiit, tibi ſumma rei, Pater alme, relata eſt.
Te-

(e) *Trajanus Euſtachium de bello edocet.*

Tecùm partitus curas de more, monentis,
Solantiſque tuo fidens, pendebat ab ore.
Cùm ſubito illapſus ſtellata è ſede miniſter, [f]
Inſignis facie, & chlamyde, & radiantibus alis,
Qui rutilos aſtrorum ignes, Phœbenque micantem
Vinceret, & triplici Eoum ſpendore coruſcum,
Latèque in tecta inſuetum diffudit odorem,
Ætherioque ſimul complevit lumine ſedes.
Tùm ſic intentum alloquitur. Deſiſte morando
Euſtachi, & actutùm hinc denſas diſcede per umbras,
Me duce: Plura tibi [Trajani juſſa priuſquam
Perficias, atque arma petas] peragenda ſuperſunt.
Aliger hæc tantùm: Euſtachius data ſigna ſecutus,
Perque lares, aulamque Ducis, perque ampla viarum
Accelerans greſſus, nunc hàc, nunc cominus illac
Ponè ſubit, fidæque premit veſtigia lucis.
Ducitur ille, vagæ ut volitantis imagine formæ
Illuſi in ſomni trahimur nos ſæpe volentes;
Sopitos artus liquidum per inane videmur
Transferre, & curſu celeres præverterc ventos.
Extrà urbem ad lævam, pleno quà flumine lambens,
Inque mare erumpens, rapido fluit agmine Orontes,
Lucus erat, piceis horrens, atque ilice opaca. [g]
Quò ſubter, tenuis ducit quà ſemita greſſus,
Anguſtique aditus, longo ſpelunca receſſu
Exeſi horrebat vaſto in ſpiramine ſaxi.
Hùc ex diverſo Chriſto gens fida, Tyranni
Immanes metuens iras, ſævaſque ſecures,
Per noctem furtim confugerat; & pia ſacri
Præſulis auſcultans Heronis dogmata, ad aras

(f) *Angelus ad Euſtachium.*
(g) *Euſtachius noctu Chriſticolas latentes inviſit.*

Infabrè exculptum recolebat ab arbore Numen,
Humani generis pœnas quod ſpontè ſubivit.
Vitam infelicem miſeri deſerta ferarum
Inter, & ærumnis, crebriſque timoribus auctam
Degebant: inopes victu, qnem terra ferebat.
Tum pater omnipotens, quò corda alterna piorum
Temperet alternis curis, atque æmula virtus
Succreſcat ſtimulis, latèque per ora virorum
Euſtachii nomen ſummis eat inde per orbem
Laudibus; hùc ipſum, ætherio ductore, reducit.
Jamque propinquabat, ſupera cùm percitus aura
Antiſtes, plenuſque Deo: Date gaudia plenis
Vocibus, exclamat, plauſus geminate frequentes,
Et meritis mecùm venienti occurrite ſertis
Euſtachio: hic gravis ærumnis, patienſque laborum
Ad palmas noſtræ prò relligionis amore
Jam properat: cerno extremæ victricia pugnæ
Signa manu: cerno radiantia tempora ſerto,
Horrenteſque meis dant auribus æra boatus.
His dictis alacer ſubeunti occurſat, & illum
Excipit amplexu, dehinc hæc ſuper addidit ore.
Quo me, quovè meos ſocios [*h*] dignaris honore,
O decus Auſoniæ, & jubar immortale ſupernæ
Militiæ? quis te ſpelæa per avia ducit,
Horrendaſque umbras! Claro tunè ille Quiritum
Inclytus e numero, adverſæ ſuccumbere ſorti
Neſcius, inſigniſque hominum, Ditiſque triumphis?
Sic equidem, talem ætheria mihi miſſus ab arce
Nuncius eſſe dedit te nunc, talemque per umbras
Venturum oſtendit; dictis qui corda levares
Tri-

(h) *Præſul ad Euſtachium.*

Triſtia, & ignavas monitis accendere mentes,
Alloquioque velis, vitæ quas tædet inertis.
Eja age, & hinc felix noſtris ſuccede latebris.
Hæc Heron, genua Euſtachius complexus inhæret
Submiſſus, ſociaſque manus in fœdera jungit.
Mox ſimul in ſpelæa ineunt, medioqne locatus
Antiſtes, lateri Euſtachium ſibi fixit, & omnes
De vivo circùm preſſere ſedilia ſaxo.
Tùm ſic Romuleus. (*i*) Nili devectus ab oris,
Magne Pater, ſuperum nutu, juſſiſque regentis
Trajani imperium, quò urbes, genteſque rebelles
Adiicerem ſceptro; Antiochi novus hoſpes ad urbem
Accedo; ignotaſque datur contingere terras.
Nunc iiſdem monitis (quis enim ſine numine Divûm
Hęc nemora,& latebras peteret?) conjungere dextras,
Atque animos coràm ſinimur, curaſque levare.
Jam deſueta diù cogor petere arma, Ducique
Advocor in partes; ne mè, precor, horrida Martis
Bella ſequi, nevè audentes tentare rebelles
Mittite, ni ſacro imbellem prius indice ſignes,
Me pater, & mihi vos precibus, votiſque laborum
In partem addatis comites, ſuperoſque vocetis.
Quæ noſtra [excepit Preſul] quæ vota! benigno
Si tibi Rex ſuperum arridet jam corde, ſuperque
Jam magis, atque magis dextra te ducit amica?
Perge animi fidens, non hæc tua facta, nec auſus.
Te ex Erebi manibus, mortiſque ad lumina vitæ
Qui rapuit, quique æternis tua nomina faſtis,
Quod ſpero, dabit; ille manu pèr tela, per hoſtes
Incolumem te, pone metum, feret: ille refringet

(i) *Euſtachius ad Præſulem.*

Arma virùm,humanoſque auſus,ſtygiaſque phalanges,
Tèque triumphali ſuſtollet ad aſtra corona.
Verùm age,dū nobis amor idem,eademque cupido eſt,
(Undè Deo ſit major honos ,) ab origine prima
Dic, Heros , quæ prima tibi data ſigna ſalutis.
Qui modus , & tutum quæ tè via ducit Averni
Inſidias inter , fraudeſque : aut undè repentè
Tempeſtas tam dira , tuis , patriæque , boniſque
Te rapiens , errantem extrema per omnia vexat ?
Hæc ait Antiſtes , cuncti ſimul ore fremebant
Chriſticolæ [k] circùm, nutuque, oculiſque rogabant.
Cùm bonus intentis Heros ſit omnibus orſus.
Abnuerem, Pater,ipſe quidem, menſque horret iniquos
Volvere tot caſus animo , & meminiſſe loquendo.
Sed veſter quia tantus amor , fandoque refulget
Olli major honos , undè hæc mihi cuncta ; pudebit
Tùm quoniam magis haud dignas pro munere tali
Me miſerum grates ſummo retuliſſe datori ;
Incipiam. Vos , o ſuperi , aſpirate ; perennis
Intereà tantorum operum date munera laudis
Auctori , & mecùm faciles evolvite facta.
Iſacidis bello fractis , domitaque ſub armis
Dacorum rabie , & quos attulit Iſtria : poſtquam
Saxorum molem flumen mira arte recurvam
Suſtinuit rapido dorſo , ingemuitque ferendo
Gurgite ſub vaſto : ſpoliis Hadrianus , & armis
Jam clarus , merito Capitolia ad alta triumpho
Venerat , inque fidem regni , ſceptrique futuri.
Trajanus parta lætatus pace , Quirino
Sollemnem inſtituit pompam , ducibuſque vocatis
Prò

(k) *Euſtachius ſua geſta Chriſticolis narrat.*

Prò meritis victo exuvias ex hoſte coactas
Juſſit partiri, dignoque effecit honore.
Emicat hic pedites inter, præit ille ſuperbo
Vectus equo, turmaſque equitum ſuper eminet acres.
Poſt alii clypeos, alii thoracas ahenos
Accipiunt, leveſque ocreas, veſteſque, jubaſque.
Me verò, haud ſegnem tanto in diſcrimine rerum,
Quem ſecùm vidiſſe ait à juvenilibus annis,
Servantemque fidem proavûm, & majora gerentem,
Militiæ inſignem voluit, dixitque Magiſtrum.
Atque ait: Egregia juvenis macte indole, tali
Perge animo, ad ſummos Virtus tè tollet honores,
Me duce, nec fortuna tuis erit invida votis.
Ex illo mihi ſumma patens ad tecta Tyranni
Semper limen erat, ſemper favor ore ſereno
Primores inter. Studio conabar amico
Mane ſalutantum numero, juſſiſque frementum
Aſtare, & titulis abavûm, luxuque ſuperbus
His certare, illos longè ſuperare merendo.
Audentes tentare animos ad dura palæſtræ
Prælia ludicro marte, & prævertere curſu
Sæpe pares, magna procerum ſpectante corona,
Lætabar demens. Pulchros effingere greſſus,
Et dulci in numerum veſtigia flectere plectro,
Arduus & crebris ſuſpendere ſaltibus artus.
Prætereà raptabat amor [*l*] prærumpere ſaltus,
Et celeres terrere feras, & amore Dianæ
Sæpe pharetratam per ſylvas ducere turbam,
Et penetrare nemus, rapidoſque agitare moloſſos,
Fulmineoſque citis per compita vocibus apros
Co-

(l) *Venandi cupiditas Euſtathii.*

Cogere, & æripedes ad retia fallere cervos.
Hoc ſtudio haud umquàm movit me fortius ullum.
Pròh nunquam æternæ ſcrutanda oracula mentis!
Pròh miſero mihi quanta Dei indulgentia! ludit
Nobiſcùm ſic divus amor mortalibus: iiſdem
Artibus eluſum, perqne has, quas ſæpe ſolebam
Venator captare, feras, me credite captum.
Tempus erat, quo læta novo pubeſcere fœtu
Incipiunt rura, & denſis ſylveſcere ramis
Arbor; ubi alituum domus opportuna canentum.
Cum viret omnis ager, zephiriſque tepentibus altè
Concelebrant vario volucres connubia cantu,
Immiſtæque feræ lucos, & cæca relinquunt
Antra. Importunis tùm me non acrior unquàm
Ardor agit ſtimulis, mentemque accendit, opacum
In nemus ire, diem cùm proxima ferret olympo
Aurora, &, magna comitum ſtipante caterva,
Venatum exercere, jugiſque arcere ſupinis
Ramoſa cervice feram, damamvè fugacem.
Urget amor, vincitque: Ducis de more potentis
Limina conſenſu ſupero, ſimilique laborum
Se mihi dant comites ſtudio, atque ætate frequentes;
At cæptis primùm viſa eſt obſiſtere conjux,
Et ſævi horriſonis ſpirantes flatibus Euri,
Et noctu piceo contractum turbine cælum,
Et fragor, ruptis radiantia fulgura nimbis.
His tamen adverſis, cum primum albeſcere claro
Viſa mihi matuta polo, nimbiſque [m] reductis;
Quanquam agitant variæ ſtudia in contraria curæ,
Vicit amor prædæ. Tuus, o, me dulcis amator,
Vi-

(m) *It venatum Euſtachius.*

Vicit amor, tua me pietas ducebat amico
Numine. Stat badius tremulas hinnitibus auras
Percutiens ſonipes, famuli longo ordine, vinclis
Vis bene fida canum, & lato fulgentia ferro
Tela: nec inſidiis pedicæ, neque retia deſunt.
Progredimur tandem, humenteſque indagine ſaltus
Cingimus, & crebris reſonant clamoribus antra
Currentum, & nodoſa feras in vincla trahentum.
Setigerum primò deſcendere montibus aprum
Cernimus; hunc latè comites circùmque, ſupràque
Accipiunt venientem, atque obſidione tuentur.
Ille ubi prenſantes armos, aureſque tenentes
Senſit adeſſe canes, inimicaque retia circùm;
Ingruit impavidus, curviſque per arma, per hoſtes
Dentibus infrendens fertur: mox ſubſtitit, albam
Ore vomens ſpumam, medius, torvuſque minatur.
Turba inſtat, ſpiſſiſque ferum [n] transfigere certat
Miſſilibus, rauciſque canes latratibus urgent
Nunc hàc, nunc illàc. Complet grunnitibus auras
Ictus aper, cædiſque metu citus irruit, & mè
Præcipitem dorſo ferientis calcibus æthram
Sternit (o) equi, geminātem ictus, jaculoque prementē.
Attoniti in caput excuſſum, incurſuque furentis
Apri obluctantem famuli flevere, nec audent
Me tanto oppoſitis armis, manibuſvè periclo
Objectum eripere, auxilium, divoſque vocantem.
Quid plura! incolumis (p) ſervor, tantiſque ſuperſum
Caſibus, haud opere humano, nec viribus ullis,

(Ve-

(n) *Aper transfigitur.*
(o) *Ab equo Euſtachius excutitur.*
(p) *Incolumis ſervatur.*

(Vera loquor) non arte mea, nec gloria facti
Reddita mortali cuiquam eſt. Ego vota nefandis
Demens perſolvi Divis, grateſque rependi;
Cùm tua me, Superum Rector, ſervaſſet amico
Numine dextra, manu quem mox immitis Averni
Eriperes: tua laus omnis, tibi gloria detur.
Jam comites ſoſpes renuentes hortor, & aprum
Inſequimur: fugit ille tamen, ſed plurima tardant
Vulnera, eum feſſi tandèm ſtravere moloſſi.
Sævit amor prædæ, paſſim per compita fuſi
Hic leporem petit, ille cavis in vallibus acrem
Ore lupum, damamvè citum, vulpemvè ſagacem.
Collis erat (patrio agricolæ ſermone vocabant
Hunc (*q*) Vultuvillam) noſtræ inter prædia gentis
Haud vilis, collemque ſuper, quà plurima ramis
Sylva horret, viridique feras ſub vertice condit;
Fit ſonus, ut curva ſiccas reſecantis ariſtas
Falce, vel algoſa plantas figentis in acta.
Accedo, hic vario oblectant diſcrimine vocum
Concentus, latèque auras audire loquaces
In numerum videor, lætum pæana canentes.
Obſtupui, mox circùm oculos per ſingula volvens,
Hærebam tacitus, placidoque ſonore trahebar.
Et mecùm: Quæ monſtra parit mihi ſylva? quod aures
Dulce melos, ſenſuſque replet dulcedine? miris
O, iterata modis quis fila loquacia tangit?
Aut hæc poſthabito muſarum eſt regia Pindo,
Phœbus ubi aſſiduis fertur concentibus auras
Mulcere, argutoque laceſſere pectine divas:
Aut aliquod latet hic numen: nil tale caducum,
Nil

(q) *Vulgò Vulturella, ſeu montorella.*

Nil mortale ſonat. Simul his per ſaxa, per hirtos
Sylvarum vepres ſumma ad faſtigia collis
Tendebam ſtupidus, ſenſim veſtigia firmans.
Nil in conſpectu; patulis ſed frondibus ulmus
Quà ſe tollit humo, & ſylvam ſupereminet omnem,
Cervus (r) erat, tenero detondens gramina morſu.
Cervus, at in ſylvis quo non præſtantior alter,
Cornibus arboreis, oblongis cruribus, album
E collo in pectus cui ſedula finxerat aptè
Nigrius in gyrum ducens natura monile.
Ut vidi, ut prædæ ſtimulis arreptus, eburnum
Ex humero educens arcum, celeremque ſagittam,
Inſtabam impatiens. Fugit ille, atque ocyor aura
Aſſultim ſuperat fatum, eluditque parantem
Fallere,& anfractus, qua eſt denſior umbra,petentem.
Inſequor, & tacito ut premerem veſtigia greſſu
Quadrupedem linquo. Inde pedes feror ipſe per ũbras
Sylvarum furtim, circumque, ſupraque pererrans
Undique luſtra, citis nunc hàc, nunc paſſibus illàc
Accelerabam amens, prædæ ſpe paſtus opimæ.
Proripuit tandem ex oculis ſeſe avius, alti
Summa petens collis, ruptique cacumina ſaxi.
Quid facerem? non me incepto deſiſtere magnum
Venandi ſtudium dabat, & male ſana voluptas.
Nec mihi, ſi nollem, ſinerent mea fata: trahebar,
Dive amor, & fateor: tù mè, mea corda, meumque
Deliciis animum per rura, per ardua collis
Jamdudùm alliciens, fierem modo præda, trahebas.
Sic captam extenſo ſuperas volitare per auras
Sæpe puer volucrem filo ſinit; illa volando

Præ-

(r) *Deſcriptio Cervi.*

Præperibus pennis circùm, plauſuque frequenti
Libertate frui (tardant nam vincula) falſa
Gaudet, & arcta pedes trahitur, fugitanſque moratur.
Ergo ardens ſaxum ſi quà mihi ſcandere detur
Dum luſtro, propiuſque feram transfigere tento;
Nec datur; impatiens ſinuoſum flectere nervum
Nitor, & impoſito calamo, hæc ſum voce precatus.
Diva, pharetratas inter pulchèrrima nymphas,
Innuptos agitare dies, perque arva vagari
His ſtudiis cui cura fuit, placuitque cruentas
Per ſaltus captare feras, teliſque domare:
Da decus, ut noſtris cervus, Virgo, occidat armis.
Da precor: exuvias, feſtiſque ornata corollis
Cornua, me victore, ſacri ad faſtigia templi,
Excelſoque tholo pendentia dona videbis.
Dixi, & jam toto connixus corpore, ferrum
Conjecturus eram; cum vox (*s*) mihi protinus aures
[Ah, Domine, & cui tantus amor! mihi credite ſanguis
Dum memini, totis it frigidus artubus, & me
Diſſolvi tremor in lacrymas, rigidoque notari
Ora pudore adigit] ſonitu ſic perculit alto,
Turbavitque animum, præduraque viſcera rupit.
Quis tibi jã, Placide, eſt (*t*) animus? cui dirigis arcum?
Aſpice, cede Deo. Hæc tantùm: mihi ſpicula dextra
Actutùm cecidere metu, caruere trementi,
Atque repentina ſenſus caligine capto.
Mox ſupero pulſis tenebris fulgore, vocantis
Numinis, (o ſemper viſum cæleſtibus ipſis
Optandum!) aſtantis media inter cornua cervi
Flagrantes dignor vultus, artuſque tueri,

Qua-

(s) *Euſtachio Cervum jaculaturo. Chriſtus apparet.*
(t) *Chriſtus loquitur.*

Quadrifida veluti transfixos arbore quondam .
Dive, adſum, quicunque tonans mea nomina ſignas.
Fare age, & extemplo Placidus tua juſſa ſequetur.
Hæc ego, Divus amor roſeo ſic reddidit ore,
Me blandè increpitans. Quis ego? en inſignia: ſertum
Senticomum, evulſaſque comas, perfuſaque tabo
Ora tuere pedes, palmaſque, & pectora ferro
Trajecta immiti, atque exhauſtum ſanguine corpus.
Si quando Rectorem hominumque, Deûmque potentẽ
Cuncta ſupercilio qui temperat, eſſe putaſti;
Ille ego, & æterni Patris immemorabile Verbum.
Spontè (tui mihi tantus amor) delapſus ab aſtris
Factus homo Deus acceſſi: immortalis, & inſons
Mortales habitus, mortaliaque omnia ſumpſi,
Undanteſque meo fluxere è pectore rivi
Sanguinei, & totos diffuſa eſt plaga per artus;
Ut fera primævi auferrem maledicta parentis,
Et tua præteritæ luerem contagia vitæ.
Cerne triumphali pendentem è robore: tantæ
Tum mihi molis erat tua vincula ſolvere, tantæ
Te mecum ad ſuperas ſedes, mea regna, vocare.
Ah (u) Domine (excepi) ſatis eſt: non lumina viſa
Sufficiunt, nec corda tuis, licet ænea, dictis.
Accipio, agnoſcoque libens: Amor urit abundè
Pectora, nec tantis meritis mihi verba ſuperſunt.
Deficio, cedoque Deo: bone Dive, triumphas.
Hæc ego, & irriguos fundebant lumina fletus,
Et calidas fuſim trepidantia viſcera guttas.
Ardentes veluti latices ſtillantis aheni
Fiſtula ſubjectis facibus cum mittit ad auras.

Gut-

(u) *Euſtachius ad Chriſtum.*

Guttatìm dabit illa prius; mox igne recepto,
Exultare intus ſpumas, miſtumque liquorem
Undique diffundi aſpicies, circumque relabi,
Hàc fluere in flammas, hac tollere ad aſtra vapores.
Tùm cæleſtis amans placido, quo cuncta ſerenat,
Ore, polum, pelagique oras, terraſque jacentes,
His me plorantem ſolatus vocibus, inquit.
Ergò age, ſume animos, Fili, pete mœnia & illinc
Per noctem uxore ac natis comitantibus, ædes
Ingredere occultas, cryptaſque, ubi ſacra miniſtrat
Chriſticolis pius, inſtauratque altaria donis
Myſta, ſalutari qui vos luſtrabit in unda.
Tùm repete has ſylvas, & me dictante, ferendum
Quid tibi reſtet adhuc, diſces, quavè arte refellas
Inſidias Satanæ, & pro relligione labores
Qui maneant. Toleranti animo tibi ſerta parabis.
His dictis, nec cervus adeſt, neque ab arbore pendens
Quadrifida Dominus: latè nemora invia circum
Horreſcunt; tædet comitum, ſylvæque, viæque.
Ut vigor illapſus membris, & reddita virtus,
Utque mei compos, ſubito ceù murmure ſomno
Excuterer, clamo: O fons, & pietatis origo,
O mi dulcis amor! quænam mihi tanta repente
Tempeſtas! miſer è cælo cecidiſſe ſupremo
Jam videor: ſordet tellus, jam tædia vitæ
Me ſubeunt; ſed amica libens, animoque volenti
Dum tua juſſa ſequor, firmas mihi ſuffice vires,
Firma animum: ducet quo me tua cumque voluntas,
Promptus ego: neque dehinc mortalia damna reſiſtent.
Hæc ſupplex, & mille ſolo ſimul oſcula pronus:
Cum ſubito tanti correptus imagine viſi,
Divinique memor juſſi, certaque futuræ

160

Lætitiæ ſpe, præpetibus tranſcurrere curſum
Greſſibus optarem, & ventos ſuperare fugaces.
Hinc rapido utor equo,(*x*) conſcendo in terga,citiſque
Alipedis fodio tremulos calcaribus armos,
Atque urbem repeto. Prorſus mihi nulla relicti
Cura arcus, prædæ, comitumque. In limine primo
Me Trajana uxor venientem expectat, & inſtar
Neſcio quid magni occurſat narrare volentis.
Verùm ubi demiſſos vultus, tacitumque ſeveris
Ex oculis legit illa virum, ſilet anxia, & ardet
Scitari, eventus quinàm mea pectora turbent.
Magna quidem referam Trajana, (*y*) ac mira docebo;
(Tum memoro) ne pende animis, nec pectora turbent
Demiſſi vultus. Maiora tibi, optime conjux
(Illa ſubit) quæque aſtra meis concordia votis,
Nam differre nefas, faxint. His mutua dictis
Cura animum mordet, nec rerum ſuſtinet ullam
Mens præſaga moram. Poſtquam data munia paſſim
Officioſa ſubit famulantum turba per ædes,
Quiſque ſua, & nobis penetrali in ſede, remotis
Omnibus, eſt tandem fandi data copia; primùm
In ſomnis narrat coujux ſibi viſa: Superni
Nempè ait, empyrei rectorem è robore duro
Pendentem vidiſſe, Deûm ſimulacra priorum
Abnuere hortantem, & nos ad ſua regna vocantem.
Quæ mihi meus fuerit, Superi, quæ gaudia pectus
Fuderit, has voces cum arrectis auribus hauſi,
Dicite vos; Etenim tanto præcordia motu
Ne ſimul in dulces lacrymas conſumpta liqueſcant,

D Ve-

(*x*) *Euſtachius urbem petit.*
(*y*) *Trajana Euſtachio ſomnium narrat.*

Veſtrum opus. Exilui demens, plauſuque ſonantem
Implevi, dictiſque domum, ſegneſque vocavi
Impatiens tenebras, & amica ſilentia noctis.
Grata Deo obtulimus, monumentum, & pignus amoris,
Corda; nec obſequio lacrymæ caruere tepentes.
Tùm rerum eventus, (z) & quæ mihi sylva tuliſſet
Narrabam, dignaſque Deo inter ſingula grates
Verba dabam, & nati mecum, & lætiſſima conjux.
Quaque, quod inſtabat, fieri ratione per umbras
Poſſet, verſabam tacitus, pariterque docebam.
Sed jam noctis erant denſa caligine primæ
Excubiæ, & tacito radiabant ſidera curſu.
Jam tectis efferre pedem, jam limina Myſtæ
Arcta ſubire datur, jam nos luſtralibus undis
Abluere, & veteris contagia tergere noxæ.
Vos ſuperi, vos digna Deo perſolvite tanti (a)
Muneris, æternæ vos reddite laudis honorem.
Ex illo Euſtachius mihi nomen, Agapitus uni
Natorum, Theopiſta tibi fidiſſima coniux,
Sic pariter natum volui appellare minorem.
Quid referam teneras ſacrata in veſte Joannes
Quot lacrymas, cuſtos idem, templique ſacerdos,
Sparſerit, ad ſacras nos cum divinitus undas
Audiit admiſſos, quæque hinc promiſerit ultrò
Rex ſuperum? lætus geminas ad ſidera palmas
Suſtulit, adjecitque preces, & carmina laudum.
Tùm nobis ait: Ite Deo gens cara, ſupernis (b)
Addita cælicolis, ſtygiiſque erepta caminis;

Ite,

(z) *Euſtachius uxori viſa narrat.*
(a) *Noctu una cum filiis baptizantur.*
(b) *Sacerdos ad Chriſticolas.*

Ite, & purpureis præcingite tempora ſertis.
Nos genua amplexi circùm, lacrymiſque profuſis
Sæpe iterata ſacræ porreximus oſcula dextræ.
Ceſſimus, atque alacres tulimus veſtigia retrò.
Memnonidum velut extremo de littore notos
Cum patriæ redit ad fines prædives opimis
Mercibus, Attalioque oneratus navita luxu.
Gaudet, opes invertit, eiſque explere tuendo
Corda nequit. Sic nos hilares per tecta domorum
Aſpiceres, precibus miſcentes gaudia ſacris.
Hic genibus flexos, illic ad ſidera palmas
Tendentes, ſuperumque choros ad feſta cientes.
Parte alia toto nutantia ſidera cœlo
Sæva incuſavi, lentoque cadentia lapſu;
Quæque haud Oceano ſinerent conſurgere ab imo
Auroram, fuſo luſtrantem lumine olympum.
Extulit Eoo tandem ſua lumina Phœbus,
Sed non me aſpexit, glomeratis paſſibus altos (c)
Ni poſtquam ſaltus ſuperaſſem, & pectore voces
Fudiſſem has Domino ſupplex, manibuſque ſupinis.
Rerum ſumme Sator, Divûmque æterna poteſtas,
Cui maris, & terræ imperium, cuique ætheris alti;
En tua juſſa novus miles, tuaque arma ſecutus
Euſtachius; nemora, & ſaltus, ad quæ ipſe vocaſti,
En iterum teneo, & ſummum te Numen adoro,
Authorem tantorum operum, ſortiſque datorem.
Fare age, meque tuis miſerum dignare libenter
Mandatis, animoque tua ad promiſſa volantem.
Intereà oranti, cæloque immota tenenti
Lumina (mira loquor) totum deſcendere cælum,

(c) *Euſtachius ad ſylvam redit.*

Fulgenteſque aſtrorum ignes mihi adeſſe videntur.
It nimbi in medio rutilo præcinctus amictu
Omnipotens: præit in gyrum radiantibus alis
Aligerûm delecta cohors, & plurimus ordo
Plaudentum, & vario modulantum carmine voces.
Hic citat in numerum citharas, hic pollice lento
Tangit ebur; canit ille lyra, aut diſcrimina vocum
Dulci ſonis animat lituis, revocatque canendo.
Omnes obſequio prompti, nutuque ſedentis,
Et plaudunt circùm, & captant dulcedine mentem.
Ille ſupercilio facilis diademate gaudet
Ordine ſtellarum triplici, crineſque premente,
Cui ſeptimgemino radiantia lumine Phœbi
Ora; nec aurato, flammaſque imitante pyropo,
Dextra caret ſceptro, imperii geſtamine parti.
Hac mihi tùm pompa Dominus, plauſuque decoro
Obvius occurrens, poſtquam pendentia nutu
Agmina plaudentum fecere ſilentia cantu;
Intento, inque oculos ſenſus, animamque trahenti
Has roſeo ille mihi perfudit ab ore loquelas.
Euſtachi, ab incœptis tua res mihi ritè videtur [d]
Progreſſura quidem, modo quæ peragenda, ſequantur
Ordine, & a primis non diſtent ultima. Verùm
Multa prius ſuperanda, altumque tibi æquor arandum
Curarum ſervatur adhuc: adverte, docebo.
Principio tibi mille dolos, fraudeſque latentes
Lucifugi malaſana cohors, gens invida, regni
Undique moliri ingreditur; deſiſtere cæptis
Te quibus impellat, rituſque iterare priores.
Tu nè cede, canat fac ſurdo: audentior ibis

Me

(d) *Chriſtus ad Euſtachium.*

102

Me duce, ſub fidei auſpiciis: latrabit acerbè,
Inſtabitque furens; verùm in ſua damna fovebit
Tandem indignantem rabiem, & fremet ore cruento.
Præterea cenſus, tituli, quibus auctus abundas,
Barbaricæ veſtes, famulantumque ordine longo
Servitio benefida cohors, & laudis honores:
Conjugis, & geminæ patriis ludentis in ulnis
Dulcis amor prolis, quibus alto in corde ſuperbis;
Unde tibi? largitor ego; mihi cuncta rependes.
Ergo age, & immoto perſiſtas pectore: caſus
Ne moveant ulli, aut rerum jactura, periclis
Succumbas nullis: uſu ſplendeſcit aratrum,
Et micat obryzum geminatis ignibus aurum.
Ipſe adero, hoc ſatis: hæc memori ſub pectore condas.
Dixit, & actutùm tenues diffugit in auras
Ex oculis. Me luſtra iterum accepere ſupinum,
Pendentem obtutu, cupidoque ea corde bibentem.
Tùm ſic lætus eum tandem ſum voce ſecutus,
Quæ mihi dura refers, aut quæ toleranda revelas (e)
Aſpera, dulcis amor, fraudeſque Acherontis iniquas?
Quidve moves? metuenda mihi quæ triſtia narras
Duxiſti? aut poſſe inſidiis ſuccumbere Avernis
Hoc pectus, quod, Dive, foves, quod numine firmas
Ipſe tuo? & quæ tanta ferus meditabitur hoſtis?
Quæ fuerint rerum jacturæ, oblivia nobis
Ut ducant ingrata tui, & te è pectore ſolvant!
Surgant ergò hoſtes, veniant mihi dira, viciſſim
Fata repercuſſis ſuper addant ictibus ictus,
Nil metuam: ſic creſcet amor, ſic, dive, triumphas.
Hæc ego, & ex illo, fateor, mihi vivida virtus

(e) *Euſtachius ad Chriſtum.*

Addita, conſilium rerum, & prudentia major,
Qua contemnere opes, vultuſque horrere potentis (f)
Conſuevi Ducis, & paulatim excedere ab aula.
Mane ſalutantum charorum me ora tueri,
Congreſſuſque, habituſque pigêt, ſaturataque ſucco
Vellera ſidonio, & vectam a Garamantidis oris,
Gargaridumvè plagis gazam. Procul ædibus omnis
E noſtris molles fucata in imagine ſenſus
Effigies fallens, irritamenta malorum,
Arte laboratæ veſtes, phrygiique tapetes,
Luxus, & aurato ſignis ſpirantia tecto
Aulæa. Inſtaurant vires, ſi fortè parantur,
Mænſæ, non læto celebrant ſollemnia Baccho.
At juvat in miſeros plenas extendere dextras,
Chriſticolaſque juvare inopes, ædeſque latentes
Per noctem penetrare, parant ubi ſacra miniſtri.
Pax nobis, & amica quies: Theopiſta profanas
Abjicit illecebras, cultumque, & nobile viſu,
Nec ſine majeſtate oris decus: illius unus
Noctes, atque dies animo creſcebat amatæ
Relligionis honos: ne audiret vana Deorum
Nomina, ſollemneſque dies, rituſque profanos,
Quos diis Roma parat, miſerorum optaret in uſus
Vertere relliquias cenſus, patriàque relicta,
Extorrem pro Chriſto alibi producere vitam.
Hic mihi tum rerum placuit tenor, hoc ego recti
Servandi ſtudium elegi, & ſine crimine juris.
Sic veterem delere luem, & contagia culpæ,
Plurima quæ fuerat, vigili emitebar amore.
Sed quas non parat inſidias, arteſque nocendi

In-

(f) *Euſtachius pompas, & honores ſpernit.*

Infernus Pluto ? quot ſe non induit aſtu
In facies ! ſi forte dolo nos perdere detur .
Sæpe mihi incuſſit ſtimulos , ſenſuſque nefandos .
Hinc proavum titulos , hinc ſpretæ laudis honorem ,
Et Ducis illecebras Trajani , & amabile fidæ
Fœdus amicitiæ , a teneris quo me unguibus arctè
Ælius ante alios ſibi junxerat : Ælius alti
Imperii culmen , ſceptri & ſpes certa futuri .
Nos , veluti quercus , montis quæ in culmine fixæ ,
Erectævè polo turres , muroque tenaci
Immotæ , nullis aquilonum flatibus actæ ,
Nulla inimica movent certamina . Vicimus aſtus ,
Vicimus , auſpicibus Superis , conamina Ditis .

Finis Libri Secundi .

Digitized by Google

EUSTACHIADOS

LIBER TERTIUS.

ARGUMENTUM.

Amiſſis opibus, patriam, charoſque relinquit,
Ægyptumque petit. Theopiſtam amittit, & inter
Flumina deplorat natos ex ore ferarum.
Narrandi hic finis: repetit nota atria, luſtrat
Tunc turmas, claſſem aſcendit, portuque recedit.

SEd noſtras acuit majora ad prælia vires
Omnipotens Ductor: ſtygiis dedit artibus addi
Ar bitrium fati, duræque incommoda ſortis;
Sors licet ipſa Dei ſit ſola, & ſumma voluntas.
Principio, quæ lata meo per tecta vigebant (a)
Servitio bene fida, domi & pars maxima noſtræ,
Mancipia, infeſto ſerpens per membra veneno,
Perdidit atra lues, & funere merſit amaro.
Linquebant animas miſerè, ſubitòque cadebant
Preſſa gravi morbo: nec ſpes, nec Pæonis artes
Nec vis herbarum viſa eſt medicabilis ægris.
Tecta vacant, pendent opera interrupta, nec audet
Limina quiſquis, ea ſtupefactus imagine morbi,
Tangere, nec noſtros caſus miſerantur amici.
Suſtinui, accepique libens data funera: dextram
Agnovi Domini meritò ferientis ab alto.
Et dixi: Hic combure, Pater, nec cædere ceſſes;
Prævia perpetuæ modò ſint mihi ſigna ſalutis.

In-

(a) *Famuli, & Armenta lue pereunt.*

Inſuper his, lento reduces è ruribus adſunt
Agricolæ greſſu, ſignantes triſtia vultu.
Vixque domum ſubjere; errantum in montibus altis
Hic ovium gemit exitium, dòlet ille juvencos,
Cornigerumque pecus latè in præſepibus atro
Confectum ſudore, animam vomuiſſe cruentam.
Immò nec ingentes duro ſub vomere tauros
Infandam effugiſſe necem, nec jam agmen equarum:
Tunc ego: Nulla mihi facta eſt jactura; ſed ultrò
Abſtulit ille ſibi, nobis qui contulit ultrò.
Hæc ego jampridem ſacros convertere in uſus,
Auxilioque levare inopes, templivè miniſtris
Largiri volvebam animo: Deus abſtulit, illi
Solus honos, nobis onere, atque ambagibus orbis
Promptior exemptis, callis patefiet olympi.
Diditur intereà Romana per ora malorum
Fama, graves caſus volvens, & acerba meorum
Funera, & excelſas Trajani aſcendit ad arces.
Hic primò indoluit, diriſque oneravit acerbis
Volventem inſtabili Sortem mortalia ludo.
Mox tamen imperii variis obnoxia curis
Corda nequivere externos admittere caſus,
Nec retinere diu admiſſos: Defecit amicos
Fœdus amicitiæ, & quondam ſtudioſa voluntas;
Et conſanguineos cognati ſanguinis ardor.
Nulla per ora virûm Placidi modo fortia in armis
Geſta ſonant: non aura levis, populique frequentes
Me inſignem titulis celebrant, partiſque triumphis.
Ceſſat amor, laus omnis abit, quia amica recedit
Fortuna: haud honor eſt, niſi quem ſibi comparat aurũ.
Sic benè conſuluit noſtris Deus æthere ab alto
Optatis, ſic noſtra ſolo ad ſe pectora traxit.

Nox

Nox erat, & lentò claudentibus ægra ſopori
Lumina fit nobis ſonitus per tecta: tumultus
Auditur tenuis capſas, ærataque furum [*b*]
Scrinia frangentum ſensim in penetralibus altis.
Inſurgo dubius, ſuſpenſiſque auribus aſto.
Clareſcunt ſtrepitus, tacitæque in murmure voces.
Ocyus accurro, propius quà percutit aures
Rumor, & exclamans, geminatis vocibus inſto.
Apparent rerum fures, prædaque potiti,
Inde per ima fuga rapidi ſe impunè ferentes
Limina portarum. Fateor perfuſus obortis
Indolui lacrymis; doluit Theopiſta, videndo [*c*]
Sortis relliquias, aurum, precioſaque cocco
Vellera, & Eoo evectas e littore baccas
(Proh ſuperi!) immani tandèm direpta rapina.
Luctus ubique oritur ſpectantibus unde rapaces
Irruerint fures, & qua ratione latentes
Per noctem noſtros auſi penetrare penates.
Et ſolamen erat tantis mœroribus unus
Mœror, & alternis auctus ſingultibus angor.
Non ſecus ac fatis, rapidiſque Aquilonibus acti,
Littus ad extremum ſi forte evadere detur,
Demerſas nautæ puppes, merceſque querentes,
Deflent, inque vicem gemitus, luctuſque ſequuntur.
Sic nos demiſſos animis, atque undique triſtes
Angit acerbà dolor, facieſque miſerrima caſus. (*d*)
Ecce autem irrorans cæli vis vivida mœſtos
(Mirandum) attollit noſtram ad cæleſtia mentem,
Mœ-

(b) *Fures pretioſa quæque furantur.*
(c) *Mæſtitia ob ammiſſionem bonorum.*
(d) *Divinitus reficiuntur.*

Mœroremque fugat. Capiunt oblivia rerum
Nos modo ſollicitos; redeuntque in priſtina ſenſus.
At quis erit modus? incipio, quæ triſtia paſſi
Nos, conjux? nonnè in ſylvis mihi Rector olympi
Rettulit hæc? nonnè illi ultrò toleranda recepi
His majora? minus feriant prævifa ferendo
Hæc ergò nos tela: angunt ſi pectora, amicam
Noſcamus dextram ferientis, opemque petamus.
Unde ictus, noſtris illinc medica mina plagis.
Intereà (namque hæc Domini mens certa videtur)
Dum ratio, tempuſque ſinunt diſcedere furtim,
Relliquiis furum collectis, protinus urbem
Linquamus, patriaſque oras; atque auſpice Chriſto,
Per noctem ſedes aliena in regna feramus.
Annuit extemplò conjux: jam ſarcina dorſum [e]
Incurvat collecta meum, jam pendet amico
Alter ab amplexu natorum, atque implicat ulnas.
Pone ſequens natum geſtat Theopiſta minorem.
Ceſſimus & triſtes nullis habitata colonis
Accepere humili nos texta mapalia culmo, [f]
Donec ab aurato Titan ſe attolleret ortu.
Nocte ſuper media cælum caligine denſa
Obductum pluvias ſe ſe diſſolvit in udas.
Nec jam finis erat: diverſa ex parte fatiſcens
Tectum, inimicum imbrem rimis,crebraſque procellas
Accipit, undantique ſolum madet æquore latè.
Non tutæ veſtes, devectaque ſarcina, noſtros
Nec datur effuſis defendere nubibus artus.
Tecta ſuper, circumque, feras ululaſſe putares
Eu-

(e) *Ab Urbe diſcedunt.*
(f) *Noctu caſam ingrediuntur.*

Eumenidas,mugire ſolum,& tremere omnia fundo.[g]
Diffugere hyemes tandem, nimbiſque remotis,
Apparet radiis Phœbus, quibus humida paſſim
Membra exiccantur, pendenteſque ilice veſtes.
Mens fuit actutum ingratis abſcedere tectis,
Atque aliò deferre gradus. Hinc rite peractis
Supplicibus Domino precibus, diviſque vocatis
In partem curſus, natis, ac faſce gravati
Incœptum molimur iter, perque arcta viarum
Una nimés ferimur, patriaſque relinquimus oras.
Vadimus auſpicibus ſuperis ceù Lothus opimas
Cùm patriæ fugeret fines, pluvialibus urbes
Ignibus, ingentique Dei commiſſa furori
Mænia, ut externo peteret ſub ſole penates.
Ut ventum ad littus, ſublimi ubi vertice ſurgit
Oſtia, [h] & ingenti murorum mole ſuperbit;
Tendimus ad portum dubii, properamus ad undas.
Nec, quò fata trahunt, nec quæ nos prima recondant
Littora, percipimus. Conjux mihi multa putanti
Suadebat Solymas curſum deflectere ad oras,
Bethlemiaſque, Dei ſacra ad cunabula, ſedes;
Nulla ſed in toto viſa eſt tum litore puppis,
Carbaſa quæ ventis felicibus explicet illùc.
Verùm ad Niliacas oneratis mercibus oras
Ire parans, puppi ſocios accerſit ab alta
Nauclerus, ventoſque rati promittit amicos.
Eſt mihi mens pinum conſcendere protinus illam;
Sed renuit conjux, ſubitoque arrepta timore
Velle negat, rurſuſque negat: nec cauſa timoris
Nota ſibi, atque animum quæ vis obſiſtere cogat.
For-

(g) *Imbre madeſcunt.* (h) *In urbem Oſtiam perveniunt.*

106

Forſan in obſcæno infelix [quia ſæpe malorum
Mens preſaga] viri jam tum agnoſcebat iniquas
Ore notas, Venerisque faces in pectore turpes.
Tunc ego: Fata tuis Theopiſta, adverſa videntur
Optatis; igitur qui magni erit angulus orbis
Perfugium, & noſtro domus opportuna receſſu?
Me piget hic tecùm media conſiſtere in acta:
Nobis nautarum clamor, ſonituſque rudentum
Officiunt; quò prima vocat fortuna, ſequamur.
Quid tua corda diù curſus premit anxia cura,
Spes tantùm ſi noſtra Deo eſt commiſſa volenti?
His dictis Theopiſta nihil, niſi, dixit: Eamus. (*i*)
Ergo ut ad occiduos proceſſit Phœbus Iberos,
Et facili tumuere aura data lintea, portum
Linquimus, Auſoniaſque oras, pelagoque volamus.
Crebreſcunt placido ludentes flamine venti,
Porrectoſque ſinus, velataque cornua perflant.
Tres ſimili ſoles Tyrrhena per æquora, noctes
Et totidem ferimur zephyro ſub lumine Phæbes.
Mox venti poſuere, ſilent latè æquora, remis
Tùm nautæ obnixi inſurgunt, & cærula verrunt.
Nulla adeò in tanto paſſi diſcrimina curſu,
Nec viſa eſt pelagi facies, nec turbida cæli.
Aſpiceres nutu nautas parere paratos, (*k*)
Officiiſque Ducem [Tarchontem nomine] amicis
Aſſiduum, & noſtris addentem munera menſis.
(Heù mendax hominum facies!) nos grata viciſſim
Verba referre pari ſtudio, dictiſque, jociſque
Miſceri, & vario nautarum fallere curas
Ser-

(i) *In Ægyptum proficiſcuntur.*
(k) *Nauclerus officioſus.*

Sermone. Eſt meriti pretium ſtudioſa voluntas.
Quin etiam lateri Tarchontem conjugis inter (*l*)
Veſcendum incautus patior conſidere, & illi
Humanos molli vultus oſtendere riſu,
Ludenteſque ſinu natos offerre: venenum
Unde ille, audaceſque animos, ſenſuſque nefandos
Forſan in uxorem ſenſim concepit, & ignem.
Nos tamen aſſiduis obſtringere ſidera votis
Inſtamus miſeri, grateſque rependere; caſus
Inter tot, rerumque vices, ubi parva ſalutis
Spes erat, alma quies nobiſcum & mutuus ardor
Quod vigeat, comiteſque forent gens neſcia fraudis.
Verum ubi ſtelligero medium conſcendit olympum
Nox curru, & nos Tyrrhenum confecimus æquor;
Inſurgunt rapido tranſverſi flamine venti, [*m*]
Eurus ab Eoo, & nimbis comitantibus Auſter.
Cogitur in nubem cælum, tonat undique, & atris
Additus horriſono tenebris quatit impete turbo,
Evoluitque undas, fluctuſque ad ſidera tollit.
Jactamur miſeri, crebrique è nubibus ignes
Abruptis ſubitum obiiciunt in gurgite caſum.
Non datur obniti remis, nec fidere velis,
Nec modus eſt nautis. Mediis luctantur in undis
Prò palma objectæ diverſa ex parte procellæ.
Jam ſeſe retrahunt, vaſtiſque in fluctibus atra
Apparet tellus: jam ſe ad certamina miſcent,
Cōpellūtque, trahuntque ratē, atquē ad nubila tollunt.
Clamant, ſed fruſtrà, comites; clamantia pontus
Ora opplet; madidoſque ſinus pluvialibus Auſter
Un-

(l) *Nauclerus Theopiſtæ amore captus.*
(m) *Tempeſtatis deſcriptio.*

Indat aquis, malumque ferit, ſoluitque rudentes,
victoque hoſte, Ægæas nos pellit ad oras.
nntereà trepidi jactamus ad æthera voces,
Aſſiduaſque preces: cæloque, Ereboque tremendum
Noſtra per ora ſonat nomen, Dominumque vocamus.
Nec fruſtrà; auxilio nobis Deus æthere ab alto
Adfuit; extemplò toto diſcedere cælo
Viſæ hyemes, pulſæque umbræ, ventique fugati,
Et jam grata ſuo fundebat lumina vultu
Oceanum linquens Aurora, diemque ferebat.
Servati ex undis placido dum littora primùm
Remigio petimus, non longè agnoſcimus oras
Ægypti, [n] excelſamque Pharon: mox obſtruit aures
Immenſo in ſcopulos Nili cataracta cadentis
Agmine, & undoſa findens uligine fluctus.
Protinus intorquet ſalebroſa ad littora proram,
Et Peluſiacas ſtatuit ſibi Rector arenas.
Hic feſſi optata tellure potimur ab undis.
Heù infelicem terram! heu mihi littora ſemper
Aſpera [ſic Domino placuit], crudelia ſemper!
Accelerant læti nautæ, & facto agmine, ſaltu
Littus ad extremum ſeſe demittere certant.
Navem alii contis ſiſtunt rapida oſtia contrà.
Devectant alii ad terram quos territat æquor.
Tunc ego ſuccedens oneri, ſolitoque gravatus
Faſce humeros, geminique ſimul cum conjuge nati
Tarchontem puppis penetrali in ſede latentem,
Forſan & inſidias meditantem in pectore, adimus.
Atque his aſtantem compello vocibus ipſum.
Optatis Tarchon, demum ſucceſſimus oris. [o]
Nos

(n) *Ad litus Ægypti appellunt.* (o) *Euſtachius ad Nauclerum.*

Nos aliò jam fata vocant : Prò munere tali .
Pròque inopum pietate , tuum quà pectus abundat ,
Quis tibi digna ferat ? miſeros , & dura ferentes
Nos pius expertus dudum , & miſeratus abundè es .
Sic placidum ſuperis : ipſi modo reddere tanti
Officii valeant pretium , grateſque rependant .
Ne dubites , noſtri quondam haud meminiſſe pigebit.
Navita ad hæc blando ſic reddidit ore viciſſim .
I felix , Romane , tuæ mea corda dolentis
Ærumnæ , caſuſque movent : melioribus uti
Poſthac dent ſuperi fatis . [*p*] Verùm improba cogit
Quæ lex diſtrahere hinc tecùm per rura , per urbes
Uxorem , & tantis miſeram objectare periclis ?
Sit mecùm Theopiſta : juvat tot caſibus ipſam
Eripere , & duræ ſarcire incommoda ſortis .
I felix : ſocii , veſtra hanc cuſtodia ſervet .
Protinus aſcendunt nautæ , puppimque coronant ,
Uxoremque tenent . Gelidus mihi frigore ſanguis
Obriguit venis , ſaliitque in corpore pectus .
Expavit Theopiſta , ferens veſtigia retrò ,
Diſcuſſitque manus prenſantum . Tunc ego ſupplex ,
Veranè quæ loqueris Tarchon ! deſiſte ; quid aures ,
O , quid corda quatis ! tantum fluat omen in auras .
En adſum ; en nati ; duro nos ſuffice remo ;
Dummodò ſervetur natis Theopiſta , viroque .
Parce precor [Theopiſta ſubit] mitiſſime Tarchon ,
Parce nefas : nobis æquato examine pendent
Namque honor,& ſanguis.Non plura his paſſus iniquas
Percitus ille ira , immanis ceù lumina tigris
Ignea cui flagrant , miſtique in ſanguine vultus .

Sed

(p) *Nauclerus Theopiſtam ab Euſtachio poſcit .*

Digitized by Google

Sed ſimul occurrit, ſimul hæc è pectore rumpit.
Quid me, quid querulis tentatis flectere verbis,
Quid precibus? Miſeris non hæc (audite) vehendis
Structa ratis; nec tanta ageret maria horrida circùm
Nos pietas. Pelagi rabiem ſenſiſtis, & iras,
Ventorumque minas, quas vix ſuperare poteſtas
Eſt data jam tandèm, & tantis ſupereſſe periclis.
Et vos lacrymulas pretium non vile laborum
Ducitis! o veterum præclara e ſtirpe Quiritum,
Eſt cui tanti honor; abſcede, aut tè è puppe ſub ũdas (q)
Præcipitem flebunt nati, conjuxque ruentem.
Sed jam, nulla mora, in ſcopulos detrudite prolem,
Dejicite hinc, ſocii. Irrumpunt fera turba, fremuntque,
Convelluntque manu valida, & complexibus arcent
(Proh dolor) è noſtris, jaciuntque in litora raptos
In caput, exanimes natos, lacrymaſque cientes.
Quid facerem? ferro irruerem, ſi miſſile haberem;
Forſan & indignas animas cum ſanguine turpi
Pectore confoderem. [Neque enim mihi vivida virtus
Deêrat adhuc] juſtæque foret dolor arbiter iræ.
Sed circùm ſtrictis mucronibus unus inermis
Dum cingor, velutique canum fera ſepta corona;
Quà rapidis pueros retrahebat fluctibus æquor,
Volvebatque imo, convertens lumina; ſaltu
Deſilui præceps, madidoſque è morte recepi,
Et flentes ſcopulo in ſicco, crebròque vocantes
Ore Deum, ſtatui. Pietas, dulciſſima conjux,
Natorumque coegit amor: jam parce, reliqui
Hoſtibus in mediis ſi te, longèque receſſi
E' latere ipſe tuo incautus; nec mille procacis, [r]

(q) *Nautæ parvulos ad littus proiciunt, & Theopiſtam retinent.*
(r) *Euſtachius filiis opitulatur.*

Ut bene debueram, e manibus per vulnera mecùm
Te quoque præripui, aut vitam cum ſanguine fudi.
Illi ubi digreſſum, natoſque in ſicca trahentem
Littora me videre; graves laxare rudentes
Certatim accelerant, contiſque impellere in altum,
Remigioque ratem, caramque avertere prædam.
Quod ſcelus ut miſer aſpexi, aut vidiſſe putavi,
(Namque aberant ſenſus, & erant obducta tenebris
Lumina) defeci, mediiſque illapsus arenis
Frigidior glacie, ſaxoque ſimillimus hæſi.
Ut tandem auxilio ſuperum mihi reddita mens eſt,
Utque datum meminiſſe mei, natoſque, locumque
Cernere, & humani rediere in pectora ſenſus;
Circùm oculos volvẽs, lacrymiſque tepentibus augẽs,
Has inter gemitus profudi è pectore voces.
Ergò abiit Theopiſta! (ſ) ferus mihi ſuſtulit ergò
Uxorem Tarchon, curarum dulce levamen,
Et vobis, nati, genitricem in limine vitæ!
Et quæ pacis erit miſeris ſpes? quodvè laborum
Poſthac ſubſidium, rectique, piique magiſtra?
En abiit; tranſvexit opes, tranſvexit honores
Noſtros illa ratis ſecùm, & tulit omnia Tarchon.
Crudelis! quid amica mihi dare verba parabas,
Quid facilem vultum! quid menſæ adhibere refertæ!
Scilicet idcircò noſtro doluiſſe dolori
Vidimus, & falsò miſerantem incommoda noſtra!
Idcircò nimium ventos ſpirare ſecundos
Sæpe queri, & celerem ad littus properare carinam!
O utinam, ne te, rerum pater optime, tanto
Crimine læſiſſet, mediis jacuiſſet in undis

Na-

(ſ) *Euſtachii mæror ob amiſſionem conjugis*.

Navita,noſque una ! ultrò animam,natoſque dediſſem,
Ultrò per inſanas obiiſſem fata procellas.
Verum ſit lacrymis, nati, modus; omnia nobis
Eveniſſe Dei non hæc ſine numine ſcimus,
Non hæc immeritò. Tanti felicia conſtant
Regna poli: ærumnas inter, rerumque, parentiſque
Exitium, dabitur (ſpes eſt mihi certa) ſerena
Tandem pace frui, ſuperoſque habitare penates.
Tu nobis ſpes una Deus, tu numen amicum;
O prohibe infandis Theopiſtam viribus: illi
Ante pudicitiæ, fideique in funere duplum
Sertum ritè pares, quàm vim patiatur iniquam.
Hæc effatus, onus curvo mea pignora tergo
Imponebam aptans, tenuemque incertus obibam, (t)
Qui prius occcurit deſerta per avia, callem.
Et ſæpe erepta natos genitrice dolentes
Solabar, memores caſus, matremque vocantes.
Hàc mea ſaxoſi tardant veſtigia clivi.
Illàc limoſæ paſſim, infeſtæque paludes,
Quas neque nudatis valeam transre lacertis.
Inſomnes patimur noctes, aut tarda relaxat
Languentes ſi quando quies, atque occupat artus;
Terrificant volucres ferali carmine ab alto,
Somnoſque excutiunt linguis vibrantibus anguis
Sibila, & infeſtans auras tenuiſſimus aſpis.
Victum infelicem palmæ, & lapidoſa miniſtrant
Corna, nec infectis limo, & torpentibus undis
Immodicus ſiccis ſedatur faucibus ardor.
Sic quater errantes ſylvis, animiſque dolentes
Triſtior ætherea Phœbus ſociarat ab arce.

 Jam-

(t) *Euſtachius cum filiis vagus.*

Jamque poli medium conſcenderat, unde ſereno
Lumine, & heſperiam pariter ſpectabat, & Ortum;
Cum mihi limoſi grave olentia ſtagna vaganti
Occurrunt Sirbonis, aquis, cannaque paluſtri:
Haud procul hinc humilis ſpatioſo in vertice collis
Pagus erat, quem lata fluens per jugera Nilus
Flexubus undivagis, ſinuoſo amplectitur amne.
Succedo, & fato natorum, aut numine Divûm,
Ut reor; eſt animus, proſciſſis fluctibus, oram
Accipere extremam, velut illic finis adeſſet
Exacti curſus, requieſque optanda malorum.
Non equidem infido, lato licet, æquore flumen
Defluere aſpicitur, rapidis nec fallere greſſus
Vorticibus; longo ſed feſſum errore viarum,
Ignarumqe ſinus, capitique, onerique timentem,
Me movet alternos pietas traducere natos.
Singula vectando patrius transferre per amnem
Pignora cara timor cogit. Sic veſtibus ergò
Exutus crura, & longo ſuffultus acerno,
Subvectoque humeris Theopiſto, emetior undas.
Squamigeri vario oblectant curvamine piſces,
Fulgenteſque procul ſubter vada cærula, natum.
Margine vix illum in ſicco, ſcopuloque locâram;
Cum procul (heù frăgor referens) mihi venit ad aures
Alterius clamor, ſuperos, patremque vocantis.
Hic miſer immiti fertur data præda Leænæ, (u)
Et patulo pendet rictu ſpelæa petentis.
Præcipiti rapior curſu; nec flumina terrent,
Nec mea præpediunt molles veſtigia fluctus.
At fruſtrà; occultas ſylvas, atque antra ſubivit
Il-

(u) *Theopiſtus a Leæna rapitur.*

Illa obſcura: meæ ſic pars perit altera vitæ.
Has inter curas, nimio dum victa dolore
Pectora in abruptos fluitant per lumina fletus;
Ingeminat voces Agapetus, & aſtra querelis (x)
Parte alia ferit infelix. Hic triſte videndum
Offertur miſero fatum mihi, (ſumme Deorum
Sic tibi, ſic placitum) quò non crudelius ullum.
Sanguinei in miſerum inſtabant, rabidoque trahebant
Ore lupi; quorum medium comprenderat alter,
Alter ovans, nunc circùm ululat, nunc dente tenaci
Convectare juvat prædam, ſuppletque trahentem.
Raptatus defertur, humum, vepreſque cruentans
Illiſa cervice, Deumque ſupinus, & omnes
Voce vocat ſuperos, mortemque miſerrimus horret.
Qui mihi tunc ſenſus, qualiſque in pectore mœror
Eloquerer, miſero intereà ſi vita fuiſſet.
Et ſenſu, & mœrore orbor, ſenſumque, doloremque
Abſtulit ipſe dolor, luctuque immerſit acerbo.
Sit pater, hic noſtros poterit narrare dolores.
Arbitror in fluctus cecidiſſe, & vortice aquarum
In medio gemuiſſe, lutumque hauſiſſe ſub undis.
Me tamen incolumem tanto è diſcrimine fati
Inſtantis, qui ſervarit, non cognitus author.
E' cælo eveniſſe reor: me in rupe ſedentem
Littoreà aſpiceres tandèm, in tutumque receptum,
Veſtibus, & toto manantem corpore lymphis.
Et mecùm haud procul eſt mulier, coramque tuetur.
Hæc vultum demiſſa ſedet, manibuſque revinctis
Ad pectus, cui colla jugo depreſſa recurvo. [y]

(x) *Agapitus a lupo.*
(y) *Deſcriptio Patientiæ.*

Mœſta verecundè palleſcunt ora; fluentes
Obſcuro mærent veſtes ſquallore per artus,
Nudatæque premunt faciles ad vulnera plantæ
Vepres, & corpus mordentia cingula torquent.
Quæ ſimul ac erecta, jugum, ſenteſque cruentos,
Et, qui ſanguinea ſordent aſpergine, am ictus
Oſtendens, tales rigido dedit ore loquelas.
Sume animos,athleta,aude,& patiare quod urget.(z)
Quid langues, oblite mei? quæ tanta querendo
Damna tuliſſe putas? jactura agitatnè tuorum?
Miles es, affectare Ducis data ſigna ſuperni,
Quæque illum toleraſſe vides, expende: trabali
Supplicium cerne immeritum hoc in robore; dirum
Cerne Dei capiti his ſpinis diadema paratum.
Si juvat æternùm divis aſcribere faſtis
Nomina, quò tè rere modo ſuper aſtra locandum?
Mè pene Empyrei ſedes, mihi ſerta parantur
Militibus: cælum nemo non victor adivit.
Illa ego, quæ adverſis conſtans, invictaque, curas
Fortiter humanas ſuperans, Patientia dicor.
Sis mecùm,atque libens quæcunque adverſa ſuperſunt,
Suſtineas, habuiſſe olim, & toleraſſe juvabit.
Hæc ait, & ſcopulo, viſuque aufugit in auras.
Tum memor ipſe mei, Dominique è rupe monentis
Vultuvillæ, orans tendo cum vocibus ambas
Ad cælum palmas, ſuffuſuſque ora pudore,
Illacrymans: O, parce precor, Pater optime, dixi,(a)
Parce pie: humanis nimium mea pectora rebus
Devincta, hos animo ſenſus peperere dolenti.

De-

(z) *Patientia ad Euſtachium.*
(a) *Euſtachius è mœrore levatus ad Deum.*

Deliqui, fateor: ſed firma in pectore vires,
Da robur. Jam noſco equidem tua munera, caſus
Conjugis amiſſæ, proliſque per ora ferarum,
Quæ bona contulerint. Illi jam luce fruuntur
Ætheria, æternùmque dabis tua regna tenere:
Me verò, cui nulla, tui niſi cura ſequendi.
Jam ſupereſt, me dulcis amor, tua cura tenebit.
Noſco equidem; ſuperi cives dent laudis honores.
Poſthàc nulla meos a tè mortalia ſenſus,
Nulla animum, ſolvent: nec vis erit ulla, nec orbis
Fallacis ſpecies, a te mea corda revellens.
Tù mihi principium rerum, dum vita manebit.
In tè finis erit; ſed amor non deſinet unquam.
Tù mihi ſolus amor, ſpes una, & ſola voluptas.
Hæc effatus, iter remota ad rura tenebam,
Semita quà ducit; ſed enim latè omnia dumis
Horrebant, nec certa pedum mihi ſigna dabantur.
Hàc, illàc dubio flectens veſtigia greſſu
Per ſylvas, fluidoſque lacus, attingere metam
Vix potui optatam, cùm duceret heſperus umbras.
Badiſi feſſum me ignota in rura recepi, (*b*)
Badiſi mihi parta quies. Hic arva colendo
Villicus, & duro proſcindens vomere terram, [*c*]
Seù fæcunda pecus ducens ad paſcua paſtor,
Terquinos potui vitam proferre per annos,
Ut tibi, Rex ſuperum, placuit; male ſana colendos
Gens ubi mille Deos cultis carpebat ab agris,
Vile olus, & plantas. Sed nè, precor, uſque ſinatis
Enumerare dolos ſævi quot paſſus Averni;

(b) *Euſtachius Badiſum adit.*
(c) *Fit agricola.*

Quot mihi fallendi formas, arteſque pararit
Ille hominum, Divûmque Satan interritus hoſtis.
Sit ſatis hæc tantùm vobis audire, ſupernis
Jam nunc præmonitus juſſis, habitata tot annos
Badiſæa adigor deſerta relinquere, & urbem
Hanc petere; hinc acies, ferrumque movere rebelles
Rurſus in Hebræos: quæ dehinc ventura ſuperſint,
Fallit adhuc: tantùm Domino ſint grata jubenti [d]
Opto; ſolus honos illi, quo hæc auſpice fiant.
  Sic quæ prima ſuæ fuerint incæpta ſalutis
Ordine narrabat, caſuſque, & acerba ſuorum
Euſtachius fata, illacrymans, gemituſque frequentans.
Mox tacuit, finemque dedit. Tùm ſubdidit ultrò
Hæc pius Antiſtes, [e] vertitque in ſe ora loquendo.
Mira quidem Domini Sapientia, & abdita mentis
Conſilia æternæ, immenſum quies dirigit orbem:
At pietas, & mirus amor, quo noſtra vocando
Ad ſe corda trahit, quam non in pectore adaug et
Spem, ſocii, firmam? quem non expoſcit amorem?
Quis veſtrum mihi narranti, (eſto vera faterer)
Crederet, eſſe aliquem, Fidei quo effulgeat almæ
Hic honor in terris, vigeatque in pectore Chriſti
Tantus amor, quique hæc ultrò ad ſpelæa feratur?
Nulla fides dictis; nam poſt infanda Tyranni
Tot probra in Chriſti fidos, poſt ſtragis acervos
Creſcentis Fidei (heù gelidus timor occupat artus)
Vix ſupereſſe aliquem jam relligionis alumnum,
Cui placeat poſthac noſtræ ſe credere navi
Poſt hyemem rebar, tempeſtatemque cruentam.
At

(d) *Narrandi finem facit Euſtachius:*
(e) *Preſul ad Chriſticolas.*

At non id nobis (quid enim nos poſſe fatemur ?)
Sed tibi, ſumme Deus, curæ eſt: Tu pectora divo
Afflatu, menteſque moves, & nubila ſolvis:
Tu das velle ſequi, & tua poſt veſtigia curſu
Te petere, atque lutum aurata in carcheſia conflas:
Tempus erit, mihi certa fides, per tela, per ignes,
Perque omnes mortes, & mille pericula vitæ
Quæ modo torquetur Chriſto gens fida, per orbem
Cum diffuſa, preces regum, ſacraſque tiaras
Viderit ante pedes, & myſtica thura per aras.
Conſtituent pia templa, tholoque excelſa dicabunt
Vota pii. Stygias iras, morboſque, famemque,
Ærumnaſque ſacro Divûm ſub nomine pellent.
Durate, o, tantiſque, precor, virtutibus hujus
Diſcite juſtitiam, & fortes tolerate labores.
Verùm macte Heros pietate, inſigne trophæum
Pectoris invicti, tolerantiſque omnia: tali
Perge animo, noſtraſque Deo committe precando
Voces, mitte preces. Sic qui regit æthera triplex
Audiat omnipotens ultrò, & tua vota ſecundet.
Hæc ſacro Euſtachium ſignans crucis indice præſul,
Et collo innixus lacrymas ſuper addidit. Ille
Prociduus cadit ad genua, & ſubmiſſus adorat,
Expoſcitque humilis veniam, dextramque potentem
Complexu refovet, fletuque irrorat amictus.
Chriſticolas idem ardor agit: complexibus omnes
Illum præcingunt, votis, precibuſque fatigant;
Et longè comites vellent ſeſe addere eunti.
Qui ſimul Aligero ductus cuſtode per umbras,
Atque eadem relegens veſtigia, ad alta tyranni [f]
Te-

(f) *Ad Trajanum redit.*

Tecta redit, rurſuſque in nota ſiſtitur aula.
Jamqne polo denſas diſſolverat alma tenebras
Aurora, & totum radiis compleverat orbem.
Haud mora, Trajanus ſtratis conſurgit ab altis,
Accerſitque ſibi Euſtachium, ſecùmque requirit.
Mox iterum belli motus, populoſque rebelles
Fando aperit, crebriſque animos hortatibus auget.
Conveniunt rerum intereà intra limina Primi, (g)
Accitique duces longo ordine, & aurea complent
Atria. Coccides ſolio ſublimis, & oſtro,
Pòſtquàm quæ mittendæ acies, quavè arte domandi
Hebræi, vario edocuit ſermone; ſilenti,
Intentæque virûm ſic edidit ore coronæ. (h)
Iſacida cum gente, duces, mea robora regni,
Quas vires, quæque arma diu conſumpſimus, omnes
Experti, & quondam mecùm florente juventa,
Et duro nuper pugnantes Marte: nec unquam
Nobis tuta quies, nec eis exceſſit iniquo
Ex animo rabies, jam damna illata videtis,
Quaſque his intendant majora ad crimina vires.
En Placidum, hunc plures diverſo ex orbe triumphos
Bellando retuliſſe virum, me judice, conſtat,
Et vos èxperti Solymæa ad mœnia mecùm.
Ipſum ergò, incolumem poſt tot diſcrimina rerum,
Quem tandem accipimus, virtute, animoque valentem,
Ductorem Iſacidas contrà, belloque ſupremum (i)
Præficere eſt animus, totus cui pareat ordo
Militiæ, infidoſque ſua domet arte rebelles.
Vos acies, atque arma modo [mora nulla] parate,
Tra-

(g) *Concilium belli.* (h) *Trajanus ad duces.*
(i) *Euſtachius fit Imperator exercitus in Judæos.*

Trajani memores, patriæque: ut veſtra triumphum
Geſta ferant, meritiſque micent mea munera dextris,
Et dignas ſcelerata luat gens ſanguine pœnas.
Pugnate, & ferte ingentem ſuper æthera Romam.
Vincite, ne deſit vobis hac parte triumphus;
Ne patriæ; Placidus titulis hunc addet avitis.
His dictis fulgentem illi dat jaſpide fulva (k)
Magnanimus Ductor gladium, & gangetide concha,
Vagina quem pictus acu ſuſpendit eburna
Baltheus, & Tyrio diſcretus murice, & auro.
Dacius hunc quondam vario certamine fuſus
Trajano obtulerat, mærenſque Decebalus ipſi
Liquerat ante pedes, regnique inſigne decorum;
Cum primum optatæ firmarent fœdera pacis.
Nunc Trajanus eum donat, donoque decorat.
Corripuit tandem ſe aſpectu, inque alta recepit;
Primorum comitante manu, penetralia lætus.
Exoritur circùm feſtivo murmure clamor
Plaudentumque virûm, hortantûque ad bella tubarum,
Et Cyrenæas cogentum in prælia ad oras.
Hinc præit ad portum multis comitantibus Heros
Chriſticola, atque oculis ſpecula colluſtrat ab alta (l)
In claſſem aſcendens agmen. Jam nomina ſignat,
Armaque, bellanteſque Duces, peditesſque, equiteſque,
Ordine quoſque ſuo volitantia ſigna ſequentes.
Marcius ante alios virtute, & origine clarus [m]
Emicat, antiquo Carbonum è ſanguine cretus,
Hunc Italum legio ſequitur, gens ſueta labori,
Fida Duci, inque Arabes jam tum præclarior hoſtes.
Pro-

(k) *Trajanus Euſtachio gladium donat.*
(l) *Euſtachius exercitum luſtrat.* (m) *Marcius Carbo.*

Proximus huic parili fama, & præſtantior orſis
Lucius accedit, generoſa è ſtirpe, Quietus. (*n*)
Qui bello impatiens, præcepſque, ut primus in arces
Irrumpat, majorque animum cui fama perurit.
Egregias trahit hic turmas, quas candidus omnes
Geſtat equus, roſeoque micat color unus amictu.
Sed gens non eadem; quoſdam vagus Iſara miſit
Allobroges, quoſdam Tuſcus nutriverat Arnus.
Tertius Euſtachio cognatus ſanguine puppem [*o*]
Antiochus ſcandit, ſecumque in prælia ducit
Mille viros, illi non vi, aut mercede coacti;
Sed quos laudis amor faciles, & conſcia virtus
Sola movet, longè variis regionibus actos.
Te quoque, quem Solymis peditem ſua ſigna ſequentem
Dux habuit quondam, Vultur, mavortius heros [*p*]
Gaudet habere ducem peditum virtute coruſcum.
Grajugena de gente præis ter millibus, acri
Omnibus ingenio, dictiſque, aſtuque malignis.
Non ego tranſierim te, Dyſma, te inclyte, Livi, [*q*]
Quos bello egregios peperit Francfordia fratres.
Vos patriam liquiſſe juvat, Rhenumque tricornem,
Et Senones regere audentes, & ferre ſequaces
Teutonicas acies, ferro, flammiſque valentes.
At patrios utinam tibi fata reviſere fines,
Ereptiſque frui exuviis cum fratre dediſſent!
O fuge, ſi potes, Iſacidum, fuge ſpicula, Dyſma.
Sed jam poſtrema apparent, claſſemque coronant
Agmina: ſunt hi fundigeri, quos pavit Habeſſus,
Quos Patara, aſſueti lepores qui ſiſtere funda,

Et

(n) *Lucius Quietus.* (o) *Antiochus.*
(p) *Vultur græcus.* (q) *Dyſma, & Livius fratres:*

Et medio volucrum pennas reſcindere niſu.
Suntque ſagittiferi, viſu gens dira, Geloni,
Et longè infeſtans acies roraria pubes.
Qui licet excurrant media inter caſtra vagantes,
Dum conferre manus ſignum dant cornua cantu;
Jam ductore tamen gaudent, ipſumque ſequuntur.
It gravis inceſſu ante omnes, & fronte minaci
Automedon,[r] niger ore, labriſque tumentibus altè,
Ignea in obſcuro fulgent cui lumina vultu:
Albeſcunt ſimis dentes ſub naribus, ardent
Anguea in auriculis diſtincta corallia gemmis.
Territat aſpectu, & collo ſupereminet omnes.
Afer hic extremis Maurorum è finibus ultrò
Venerat, & vario Trajanum marte ſecutus,
Jam dux nongentos in Hæbræum contrahit hoſtem.
Tot proceres, totque arma pius conſcendere vidit
Romulides, denaſque quater complere carinas.
Tùm demùm ipſe ſuam, magna ſtipante caterva
Aſcenſu ſuperat navem, quam nomine dicunt
Phœnicem; dat nomen avis (s) cælata ſub auro
Inter odoratas frondes, & thura perennis.
Progreditur portu Phœnix, tùm littora fuſis
Deſeruere aliæ velis, primamque ſequuntur.

Finis Libri Tertii.

EU-

(r) *Automedon Maurus.* (ſ) *Navis prætoria nomine phœnix:*

EUSTACHIADOS

LIBER QVARTUS.

ARGUMENTUM.

Solvunt colla jugo Hebręi, perimuntque Quirites,
Abdia duce, Cyrenem, Ægyptumque colentes:
Advenit Euſtachius, movet arma, fugatque rebelles.
In nemus Abdias multis comitantibus intrat.
Hic pugna; Artemion obit, Euſtachiuſque triumphat.

AD pugnas, atque arma vocor jam, Dive; triumphos
Bellando partos, tua geſta, expoſtulat ordo
Carminis incæpti grandi celebrare cothurno,
Majorique ciere animos ad prælia cantu.
Verùm hoc unde mihi? nuſquam clangore tubarum
Obſtrepuere aures, nunquam mea pectora Martis
Horriſono armorum caluere ardore micantum.
Italicos quamvis fines Bellona flagello (*a*)
Inſano quatiat, ſacroque aſpergat arenas
Sanguine Chriſtiadum Siculas, oraſque Pachini:
Dum fera Teutonicas acies, duroſque coegit
Hiſpanos capere arma, (nefas) ſtragemque ſubire
Regnandi male ſanus amor, menſque inſcia recti;
Nobis tuta quies tamen, & pax alma: virentes
Circùm habitāt colles nymphę, ſylvaſque frequentant,
Et vario oblectant vocum modulamine Muſæ.
At neque deſiſtam: referam quæcunque vetuſtis

In-

(a) *Bellum inter Teutones, & Hiſpanos, prò Sicilia: 1720.*

Interfuſa jacent tenebris, & tenuia longè
Signa ſequar Tu, Dive, tuo mihi numine digno
Poſſe loqui des ore, tuaſque ex ordine pugnas,
Inſtructaſque referre acies: dabis omnia, quando
Spes viget in te fida mihi, & cœpiſſe dediſti
Hactenus, & duris nunquam diffidere cœptis.
Poſtquam res Syriæ, cæcamque evertere gentem
Judæam Domino viſum eſt; Solymæque ſuperbum
Imperium, victore Tito, per tela, per hoſtes
Corruit, atque ſtrues facta Urbs pulcherrima quondam.
Romano parent Aſiæ jam ſceptra Tyranno,
Jamque erecta polo Solymæis templa triumphis
Pacis erant, mileſque tholo ſuſpenderat arma.
Iſacidum gens, palmiferam quæ propter Idumen,
Quæque agros, Galilæa, tuos, citraque, ſupraque,
Et Cyrenæas ſcindebat pectine glebas;
Cæca animis, terrore pavet: ſed & aſpera mœſtis
Victorem in populum, bello, & dictione potentem,
Cordibus exercent odia: hinc accomoda fraudi
Mille movent ſecùm conamina, mille volutant
Mente vias, ſua colla jugo quibus alta moleſto
Eripiant, meritaſque petant cum ſanguine pœnas.
At fruſtrà; effœtæ vires, diſiectaque paſſim
Oppida, diverſoque Duces ſunt marte perempti.
Quæ ſpes libertatis enim, quæ pacis iniquis,
In quos cuncta adverſa ruunt? quoſque ægra ſupernè
Sidera, & infernè, amiſſi teſtata Magiſtri
Funera acerba, parens rerum Natura, dolendo,
Reſpuit, & mœrens nigro ſe obtexit amictu?
Infelicem ergò vitam, gravibuſque redemptam
Cenſibus, ingratoſque dies duxere per annos
Pluſquam terdenos, ſatis, ſævoque Quiritum

Jactati imperio; donec furialibus hydris
Accincta, eque imo diris emiſſa barathro
Luminibus celeri ibat Diffidentia greſſu,
Et Cyrenæas luſtrabat perfida terras (*b*)
Subniger huic, atroque rubens in ſanguine amictus,
Effuſæque ante ora comæ, fluidaque coacti
Ex ſanie dentes, ſtricto cui fulgurat enſe
Dextera, & in rapidos volvens veſtigia paſſus.
Judæos inter primos & origine, & armis
Cyrenen fortè extrà urbem cum pluribus ibat
Abdias, varioque gradus ſermone trahebat;
Quà nemus umbrifera feſſis dabat arbore ſedem,
Propter aquas, gratoſque animis ſub rupe receſſus.
Ut venere, vices rerum, & ploranda ſuorum
Fata recenſentes, & quot terraque, marique
Dura ſub Æneadum quondam ditione tuliſſent,
Atque adeò ferrent; oculis lacrymantibus, arctis
E cælo ſibi rebus opem, & leviora petebant.
His Dea ſepoſitis hydris, habituque, potentis [*c*]
Olim conſilio, atque armis Simonis amicos
Induta in vultus, mœrentibus obvia prodit:
Atque his incœpit. Precibus quid cogitis altum
Empyrei, quid voce Deum? ſi ſceptra per orbem
Jactat, & æternam Romana potentia ſedem.
Non profecturis deſiſtite quæſtubus: unum eſt,
Quo fas ſervitio eripere, & captiva tyranni
Colla jugo: audere, & pulchræ ſuccumbere morti.
Sic ego, qui Simon, ſolymis præclarus in armis,
Sic mecùm, Judas, Eleazar, & inclytus enſe,
Ingenioque ſimul Joſeph: Virtutis avitæ

Nè

(b) *Deſperationis deſcriptio.*
(c) *Deſperatio in Simonem induta, bellum Hebræis ſuadet.*

Nè vos degeneres timor arguat : arma ſalutem
Arma dabunt, ſpes una eſt libertatis in armis.
Hæc ait, & diro inficiens his pectora tabo,
Ardentes addit ſtimulos, iramque miniſtrat,
Inceditque animos; nigras dehinc ceſſit in umbras:
His viſis illi arma petunt, mentemque malignam
Exacuunt, tacitoque modum ſub pectore verſant,
Qui brevior, quæque inſidiis via certior ipſis:
Et tandem hoc potius viſum eſt. Sollemnia quando
Cælicolum patri Saturno, ac falce potenti
Syntheſibus celebrare parant de more Quirites, (*d*)
Ludoſque inſtituunt, pictiſque accumbere menſis
Ritè ſinunt Domini famulos, epulaſque miniſtrant;
Improvisò omnes inimico invadere ferro,
Non ſexu, meritiſque virûm, nec vocibus ullis
Parcere. Compoſitum criſtis, vittaque galerum
Cærulea, Abdiæ ſublatum è vertice, ſignum, [*e*]
Excidiique omen ſtatuunt: tùm ad ſidera palmas,
Teſtati Dominum Sabaoth, qui cuncta gubernat,
Extendunt; nè conſilii hæc arcana, dolumque
Indicio referent, factiſque ea dicta retractent.
Hinc urbem taciti repetunt, latèque per omnem
Pentapolim certos mittunt, tempuſque, modumque
Qui doceant ſocios, ſtimulentque ad agenda paventes.
Protinus augentur numero, creſcitque morando
Libertatis amor, vireſque aſciſcit amicas.
Jamque nefanda dies aderat, ſacriſque paratis
Ad delubra ruunt tota paſſim urbe Quirites,

F Gra-

(d) *Feſta Saturnalia, quibus Romani ſyntheſim veſtem ſumebant, ſerviſque diſcumbentibus inſerviebant.*
(e) *Pileus Abdiæ conſpirationis ſignum.*

Grajorumque manus, civeſque, & corpore picti
Romulidum Primi. Mutata it ſorte jubentum
Servorum imperioſa cohors, ſpectabilis oſtro,
Et famulantis adhuc Domini, juſſuſque ferentis
Ora timet, fictoque pudet ſe munere fungi.
Poſt epulas fas eſt famulis poſcentibus urbem
Luſtrare incenſis facibus, certamine ficto
Tum celebrare diem, finemque imponere ſacris.
Ecce omnes in equis adſunt, & ludicra formant *(f)*
Bella, novas acies ineunt, & prælia miſti
Per campum ſimulata cient: curſuſque, recurſuſque
Orbibus alternis, partitoque agmine fingunt.
Iſacidæ, ut quos crudelis ducebat Erinnys,
Armati interſunt ſacris, crebroſque tuendo
Ingeminant plauſus, celantque in pectore crimen.
Verum ubi Romani dudùm nil tale timentes,
Intentos habuiſſe animos, & lumina ludis
Sunt viſi Abdiæ; ſignum dat vertice ab alto,
Notumque extollit petaſum, ſocioſque tonanti, *(g)*
Exclamans, ſic voce movet: Si libera duro
Colla jugo optaſtis, ſocii, jam tempus; inermes
Romani, ferte arma citi, date vulnera; cædem
Ingeminate, cadat repetitis ictibus hoſtis.
Eja, ait; & dicto citius volat arduus inter
Romulidas, Liciumque petit, qui Prætor, & illum
Aggrediens ferit enſe, caputque è corpore tollit;
Et jacit, attonitum tanto quâ crimine vulgus
Hæret adhuc, neſcitque oculos avertere ludis.
Mox animi incaluere, furit ſtricto impia ferro
Iſacidum manus, & campo bacchatur aperto

Ro-

(f) Ludi equeſtres.
(g) Abdias ad ſtragem Romanorum ſocios hortatur.

Romanam in gentem: perimit quæque obvia paſſim
Corpora palantum hùc, illuc, veniamque precantum,
Perque domos ſequitur miſeros, perque arcta viarum,
Atque excelſa Deûm delubra. Immiſſa vetuſtam
In ſylvam veluti quondam Vulcania peſtis
Omnia correptis ſpatiis ſuccendit, & altos,
Uſque favente Noto, crepitans vorat arbore ramos,
Excelſaſque jugi frondes, truncoſque virentes:
Nec, niſi conſumptis eſcis, incendia ceſſant.
Sic diram Iſacidæ raptim per mænia cædem
Omnibus intentant Romano è ſanguine quotquot (*h*)
Occurrunt, aut illorum ſe ex parte tuentur.
Cæduntur vigiles, ſubitoque excelſa tumultu
Caſtra petunt, pinniſque volantia ſigna Quiritum,
Armaque diripiunt, celſiſque è turribus hoſtes
Præcipitant. Clamor ſtrepit undique, & undique luctus
Languentum miſerè, & dira ſub cæde cadentum.
Non ſic Argolicæ Trojana in mænia gentes,
Aut ruere in Cyprum valuit Scytha: mitius illis
Eumenidum furit in cædem implacabile monſtrum.
Nec ferro gens dira manum, nec mente furorem
Dimovet, horrentiſque modum dat ſtragis acervo;
Viderit undanti paſſim ni ſtrata viarum
Sanguine conſperſa, & congeſta cadavera buſtis,
Et penitus tota delerit ab urbe Quirites,
Suſpectoſque doli, & conſaguinitate propinquos.
Quin etiam Ægypti vaſtis dominantur in agris,
Idaliaque Cypro: ſubigunt Salamina potenti
Impete, nec parcunt odiis ubi mater amorum eſt.
Tùm ſi forte aliquem latebris, cæcoque latentem

(h) *Cædes Romanorum.*

In tumulo inſpexere metu; ſtat vellere nudis
Artubus (horrendum!) pellem, & diſcindere ferro,
Diſtrahere excuſſis ſuſpenſa aut viſcera ramis.
Sic patrios ulti cineres, maneſque ſuorum,
Sic tum libertate frui, rerumque potiri
Iſacidæ potuere, brevique in pace teneri:
Donec ab Aſſyria Lybiæ maria alta ſecantem
Romuleam claſſem, Euſtachio Ductore, paventes
Certior adventare ruit vox una per aures,
Et Cyrenæos complevit murmure fines.
Paulatim cecidere animi, atque audacia: triſtis
Cordibus inceſſit timor, [*i*] & commiſſa dolentes
Crimina prò meritis expendunt vindice pœna.
Jam Placidi nomen latè vulgatur in urbes.
Conveniunt Primi Abdiæ intra tecta, requirnnt
Conſilio belli vires, & tempora: Claſſis (*k*)
Qui dux Romanæ Placidus, quæque arma, quibuſque
Auxiliis tantæ poſſint obſiſtere pugnæ.
Hic varia incertis animis ſententia: terret
Hos Solymæ infelix caſus, domitæque ſuperbæ
Parthorum, Cilicumque acies; hos erigit audax
Spes, & libertatis amor, & conſcia virtus.
Tandèm canitie effuſa, & gravitate ſenili
Tardior inſurgens Malael [qui pectore quondam (*l*)
Fortior, atque armis, Gazaica caſtra ſecutus
Ad Solimas, ſociis acri in certamine fuſis,
Hùc demùm incolumis ſe everſa ex urbe recepit]
Atque manu indicens, nutuque ſilentia, triſtis
Sic fatur. Quæ veſtra modo in contraria ſurgit
Mens,

(i) *Timor Hebræorum ob adventum Euſtachii.*
(k) *Concilium Hebræorum.*
(l) *Malael Hebræos ad petendam a Romanis veniam hortatur.*

Mens, ſocii, fuerat melius tunc orta, Quiritum
Fædere cum rupto veſana ad tela ruiſtis,
Cùm patrare ſcelus placuit, cùm cladis acervis
Indulgere; mala unde hæc, & ventura timemus.
Quod modo conſilium, quæ ſpes? accedere claſſem
Auſoniam fama eſt, armis, belloque potentem.
Credo equidem: Tantumnè nefas ſperaſtis inultum?
Aut poſſe inſignes ſceptro, & virtute Quirites
Hoc perferre? fidem ſerò violaſſe pigebit.
Præcipuè Placido ductore; quis inſcius armis (*m*)
Quantum hic prævaleat, quò ſe gerat impete in hoſtes?
Si qua fides experto olim, mihi credite; magnæ
Hic Gamalæ excidium, Joppeſque: bitumine denſæ
Aſphaltitis aquæ nimia, hoc duce, cæde liquebant,
Hic Macheruntæam ſubvertit funditus urbem.
Non Solymi paſſi tot fata, nec aurea quondam
Templa æquata ſolo flerent jam lumina; belli
Ni Titus arte potens, Placidi ni robur adeſſet.
Hic major virtute; levi qui vulnere tergo
Infixus nobis patuit mortalis in armis;
Namque erat haud dubius noſtras contundere vires
Neſcio quem Superum mortali in corpore terror.
Ergo agite, orantes venienti occurrite pacem
Supplicibus votis; careant nec munere dextræ.
Illi etenim ſi qua eſt pietas, fortaſsè juvabit
Nos humiiles. Socii, ne fidite viribus oro.
Haud paſſus plura Abdias, effuſus in iras
Cùm gemitu has imo prorupit pectore voces.
Proh facinus! pereat monſtrum: detrudite, fidi, (*n*)
Indignum: nunquam hic noſtro de ſanguine cretus.

F 3 Quæ

(m) *Laus Euſtachij.* (n) *Abdias in Malael invehitur.*

Quæ pax, quæ venia Æneadûm cum gente nefanda?
Qui Placidus? dirané aliquis de ſtirpe gigantum,
Annè Erebi monſtrum? nobiſcum certet, & iras
Sentiat Iſacidûm, noſtraque è cuſpide mortem.
Eſt nobis manus apta armis, ſunt corpore vires,
Suntque acies; totamque vides in bella coactam
Pentapolim, Ægyptumque; Cyprus nec diffidet auſis.
Qui timor? effætus ſi jam tibi ſanguis; in antro
Occule te cæco, & vitam illic finge perennem.
Libera jam nobis colla: aut mihi talia ſemper;
Aut lucem exoſus felici funere claudam
Lumina. Libertas fuſo redimenda cruore eſt.
Hæc illi inter ſe: Euſtachius, ſpirantibus Euris,
Jam propiora cita luſtrabat littora claſſe (o)
Ægypti, longè aſpitiens Phycuntis arenas.
Nox erat, & nullo fulgebat lumine ab alto
Cynthia; clara polo rutilabant ſidera tantùm,
Et latè in terris umbroſa ſilentia, & undis.
Hic paulatim Euri ponunt ſua flamina: ferri
Cum procul auditur rapido per cærula lembus
Remigio a terra, & medias legere obvius undas.
Agnoſcunt nutus dextram tendentis amicam
In cælum, ramo implicitam pacalis olivæ,
Agnoſcuntque ſonos, & verba precantia fædus.
Hic Nabar, & plures ſecum de gente vetuſta
Urbis Apolloniæ: quibus aut formidine belli, (p)
Aut odio Iſacidûm motis, oſtendere viſum eſt
Fœdere ſe ſtabili manſiſſe, & cedis acerbæ
Immunes habuiſſe manus; Latiique cruoris.
Et Nabar: Hebræos contrà, Dux inclyte, vires,
Quæ

(o) *Claſſis Romana Ægypti luſtrat litora.*
(p) *Apolloniatæ Romanis ſe offerunt.*

Quæ nobis, animique vigent, ne deſpice: bello
Spondemus præſtò turmis, opibuſque futuros.
Accepere preces Romani, & fœdera; quanquam
Icta metu: accepere fidem, turmaſque parandas,
Immuneſque vocant fraudum, ſocioſque laborum.
Tum ſic Euſtachius: Si juncto in fædere perſtat
Sancta fides, ſi qua eſt vobis fiducia noſtri;
Dicite, quæ gens Iſacidum, quæ robora belli,
Quivè ipſis faveat, ſceleriſque ſit improbus auctor!
Namque levis noſtras rumor pervenit ad aures.
Tùm Nabar: Abdias motus, ſcelerumque magiſter,
Optime Dux, inquit, priſco qui è ſanguine Lamech, [q]
Quondam dives opum, latiſque opulentior arvis,
Plura ſua Jordanem ultra ditione tenebat
Oppida; & huic ſocii, & cognata ſtirpe propinqui
Ezechias, fortiſque Philo, torvuſque Manaſſes.
Qui quondàm innumeros Antonia ab arce Quirites[r]
Ventoſo ſe ſe ore refert ſtraviſſe, ſuperbique
Ignibus illatis tandem in faſtigia templi,
Ad noſtras rediiſſe oras impunè per hoſtes.
His verò Hebræa quot ſe de gente fatentur,
Qui noſtram, Arſioneſque urbẽ, & Ptolemaidos agros,
Quique tenent fines, atque oppida lata Cyrenes,
Accedunt, dictiſque favent, ſocia arma ferentes.
Et jam non dubio allatum eſt ſermone, Cyrenen
Aſcendiſſe leves acies, pluresſque phalanges,
Magnanimoſque duces, ſociaſque ad bella cohortes,
Quæ teneant tractus lata obſidione; nec iſtis
Lictoribus liceat vobis appellere claſſem.
Hæc ſunt uſque adeo poſſum quæ vera fateri.

 Quid

(q) *Duces Hebræi.*
(r) *Turris Antonia in Solymis.*

Quid fieri interea eſt animo, ſtatuiſque, monendo
Præcipias; nobis ſtat veſtra faceſſere juſſa.
Dixerat ille: Heros contrà Romanus amicis
Reſpondens verbis, facili docet ordine, poſſit
Qua res confieri ratione, & tuta tenenda
Quæ loca; nè ſubitam valeant evadere cædem
Iſacidæ, aut ſperent recipi intrà mœnia: ad urbem
Dehinc patriam cautos, lætoſque in caſtra remittit.
Ecce autem Oceano primos effuderat ortus
Aurora; inſtructis medio patet æquore velis
Longè in proſpectu claſſis: formidine capti
Hebræi, turmas cogunt ad littora: paſſim [ſ]
Ante urbem in lato figunt tentoria campo.
Aggeribus ſummis mavortia mille per auras
Signa volant, crebròque fremunt fera cornua cantu.
Parte alia, portus qua frangitur unda recurvi,
Murorumque ſinu lambit veſtigia leni,
Ingens turris erat, validis circumdata pinnis:
Unde omnes medio venientes gurgite naves
Cernere erat, magniſque hoſtes expellere ſaxis.
Hanc Nabar inſidiis inſtructus, & arte doloſa, [t]
Tutari partem, multis comitantibus, urbis
Poſtulat; Iſacidas armis quò perderet omnes
Deſuper, atque urbem Romano aperiret amico.
Jam ſocios fictè increpitant, jam lata coronat
Mœnia, jam victo ſibi vendicat hoſte triumphum.
Credita res: aciem Abdias ſtruit ordine certo
Per campos, acuitque animos, atque aggerat iras.
Hic pedites, equiteſque locat, tum verbere fundæ
Præſtantes, celereſque manus, haſtiſque micantes.
Om-

(ſ) *Hebræi in litore caſtra figunt.*
(t) *Nabar inſidias molitur in Hebræos.*

Omnia diſtribuit latè loca, & omnibus inſtat;
Hortaturque, ſinant patrias nè tangere arenas
Romuleam claſſem, mediis ſed ſyrtibus urant.
At Romana phalanx remis findentibus ibat
Haud procul a Phycunte, vadis ubi libera ſyrtis;
Cornibus abductis modicè curvatur in arcum.
Jamque propinquabat terris, vocat agmina Ductor
Hebræus ſubitò, totoque accurrit ad undas
Milite, & Auſonios magno diſpellere certat
Impete. Signa canunt, ſtrictis latè omnia fulgent
Enſibus: excelſa è prora ſe credit arenis
Antiochus primò, virtute agitante, propinquis;
Ingrediturque ſolum, & primus jacit arduus haſtam,
Principium pugnæ,[u] obſtantemque invadit Acabum.
Hic peditum ductor dederat ſibi laudis honorem,
Ante alios ferrum hoſtili ſe cæde futurum
Qui ſociis imbutum oſtenderet: ænea telum
Arma ferit, ruptoque trahit de pectore vitam;
Primus & ipſe ſuo maculavit ſanguine campum.
Tùm petit Elzearum, ſtricto cui dextera cornu
Fulget; at adducto contendere ſpicula nervo
Infelix nequiit: ſciſſo cadit inguine, & arcum
Delapſu premit ipſe ſuo ſub pondere tenſum,
Advolat extemplò Abdias, validoque lacerto
Torquet in Antiochum jaculum, dictiſque laceſſit.
Meme [adſum] Romane, pete, in me tela, potentes
Siquæ ſunt vires, tua dirige. Miſſile duro
Evitat clypeo Antiochus; tum cominus inſtans
Enſe metit quoſque obſtantes, hæretque vocanti.
Tum ſic: Experiare mihi quæ, perfide, vires,
Qui-

(u) *Principium pugnæ.*

Quique animi : conferre manus, licet, incipe mecum.
Hæc tantum, & ſtetit adversùm mucrone coruſco,
Nec minus Abdias; ſed non ſinit impetus armis
Inſtantum hinc, illinc, furiiſque, metuque ruentum.
Turbati in diverſa, vocat quò clamor, aguntur,
Advenit Euſtachius, crebriſque accerſit Hebræum. [x]
Vocibus; at fuſtrà; diffuſa utrinque morantur
Arma illum hortantem ſocios, ſtragemque ferentem.
Pontibus intereà expoſitis per aperta feruntur
Littora Romulidûm turmæ, denſæque phalanges,
Immitemque ineunt pugnam nullo ordine: luctus
Undique conſurgit, gemituſque ſub arma cadentum,
Et ſævus lituorum horror, ſonituſque turbarum,
Et celerûm hinnitu cœlum reſponſat equorum.
Anceps pugna prius: retrò veſtigia tædet
Quemque referre:cadunt pariter,pariterque trucidant.
Nec fuga, nec ratio, nec ſpes eſt ulla ſalutis.
Mox ſubit Ezechias, fulgenteſque ære catervas
Sævus agens, raptim trepidos in caſtra Quirites
Cogit, & ingenti palantes cæde repellit.
Ipſe acri devectus equo formidine cæcos
Arguit Auſonios, rurſuſque aſcendere naves (y)
Proſpicit, & dictis ſubridens increpat ultrò.
Quò fugitis bello egregii, quò tenditis? iſtam
Accipite, o, terram, veſtra eſt. Quæ in pectore, ſegnes,
Formido cogit patriis excedere terris?
Nulla (procul clamat, validoque haſtile lacerto
Intorquet contrà Antiochus) nulla, improbe, fortes
Formido Æneadas turbat. Simul acta, ſiniſtrum
Perforat haſta latus, loricamque ære trilici
In-

(x) *Euſtachius Abdiam provocat.*
(y) *Ezechias in Romanos.*

Intertextam aperit, tumidoque in corpore ſidit.
Volvitur in caput ille ab equo, rabidoque cruentam
Evomit ore animam, æterniſque abducitur umbris. (z)
Clamorem Hebræi hoc tollunt ad ſidera viſo,
Et ſubitus dare terga fugæ timor incitat omnes.
Diffugiunt rapidi, fugienteſque opprimit ingens
A tergo telorum imber, trepidique ruendo
Diſpergunt per ſaxa atram, perque avia vitam,
Pulvere ſqualentem, fœdoque cruore ſepultam.
Jamque propinquabant optata ad mœnia, tutum
Unde ſibi auxilium ſperant, portaſque patentes.
Cum procul ex alto conclamant culmine cives,
Et Nabar antè alios: Pereat gens perfida, vivat
Roma potens, latumque ferat ſua ſceptra per orbẽ. (a)
Hinc ſaxa, ignitaſque faces, & fragmina tecti
Continuò intorquent, lapideſque, acreſque ſagittas,
Telorumque, nivis ritu, genus omne; rigenti
Veſtit, hyperboreos Aquilo cùm grandine montes.
Hic miſer Iſacidum caſus; cæduntur ad unum,
Cæſorumque virûm, & cumulo ſeges horret equorum.
Ferreus ardenti latè ſplendore coruſcat
Campus ubique: fluit Lybicum ſpumantis in æquor
Sanguinis unda, rubent quà ſaxa, & littora circùm.
Sed ferus Abdias inter tot millia nuſquam
Viſus adeſſe: illum Euſtachius per cæſa requiri
Corpora, perque arcana jubet loca. Certus ad aures
Nuncius affertur, multis comitantibus illum
Cyrenen petiiſſe, ſuis (b) cùm ceſſit ab armis
Spes omnis, fortemque Philum, torvumque Manaſſem.
Continuò urgeret Ductor Romanus, & illos

In-

(z) *Ab Antiocho occiditur.*
(a) *Nabar in Judæos.* (b) *Judæi Cyrenen petunt.*

Incurſu premeret ſubito per devia fuſos,
Ni celeres jam Prœbus equos immergeret undis,
Feſſiſque optatam portenderet umbra quietem.
Panduntur bifores converſo cardine poſtes,
Et læti ſubeunt urbem, ſpiſſaque corona
Obvallant circùm muros, & caſtra Quirites.
Euſtachius claſſem nautis intra oſtia portus
Imperat induci, & tuta ſtatione teneri;
Ne pateat locus inſidiis: per caſtra viciſſim
Excubiæ invigilant, tacitoque it teſſera ſigno.
Haud procul in tumulo ſublimibus undique muris
Cyrene ſedet alta; rates, & naufraga ſyrtis
Unde omnis poterat pelagi per aperta videri.
Hanc juxtà umbriferis foliis nemus horret, & antris.
Hùc ſeſe Hebræi, Abdia ductore, receſſum
In tutum abdiderant, omnes quo impunè Quirites
Inſidiis premerent, medios cùm lucus haberet,
Ardua Cyrenes illàc ad mœnia ituros.
Huc etiam venere, tuis quos traxit ab oris,
Milleni, Abdenagus, Berenice:(c) hùc mille ſub Hebro
Arſinoë miſit, non ſcuto, aut caſſide tectos,
Sed membra undiſoni gregis, exuviiſque ferarum
Indutos, flavique micant ſub ſubere crines.
Hos equuli geſtant celeres, brevibuſque ſagittis
Munitos; illi pedites, ſed lethifer artus
Omnibus eſt dextris, & acuta cuſpide ferrum.
Hùc etiam Elias rapuit qui rura colebant
Barcæa, Elias omnes ditiſſimus unus
Inter Idumæos, & ſervantiſſius æqui.
Quingentos regit ille viros, quibus indicus hirto
Ex

(c) *Alii duces Hebræi.*

Ex corio cunctis elephas thoraca miniſtrat,
Umbonemque manu triplicem, capitique galerum.
Stipitibus duris alii, latiſque verutis
Armantur, tortis alii dant verbera fundis.
Clara polo vix orta dies: ſtrepit horrida cantu
Buccina, ad incæptum ſtimulans fera corda laborem,
Caſtigatque moras. Italûm Dux optimus omnes
Partiri exuvias, (*d*) meritiſque exuta referri
Arma jubet, mox funereis defuncta cremari
Membra rogis de more. Nabar, cui cura regendæ
Commiſſa eſt urbis, gladio donatur eburno
Ezechiæ, galeaque, auro, criſtiſque micanti.
Et clypeum adverſis portarum inſigitur urbis
Poſtibus, Euſtachii, victique inſigne rebellis.
Poſt ubi compoſitis animis, timor omnis abactus
Seditionis, iter ſociis fera cornua monſtrant.
Et jam tempus erat; rapidis exercitus ibat
Paſſibus, atque ducum veſtigia nota premebat.
Ut ventum ad ſylvam, quoſdam præmittit, & omnes
Explorare locos jubet, & nemora avia cæcis
Fraudibus opportuna Heros. Illi omnia luſtrant
Compita, & anfractus circùm, occultaſque latebras
Hebræûm explorant, ſociiſque, ducique revelant.
Continuò incæpto deſiſtunt tramite, & omnem (*e*)
Undique circùmeunt latè, firmaque coronant
Obſidione locum, veluti illic præda ferarum,
Non dira cum gente manum conferre daretur.
Caſtra locant, acieſque parant; dant ænea cantum
Claſſica, & occultos crudelia ad arma laceſſunt.
Haud renuit pugnam Hebræus, licet arte retecta,

Se-

(d) *Euſtachius hoſtiles exuvias partitur.*
(e) *Inſidiæ Hebræorum in ſylvis deteguntur.*

Seque, ſuoſque capi tanto in diſcrimine rerum
Indoleat; tamen haud animo fiducia ceſſit.
Irruit, & peditum qua non tam ſpiſſa corona
Circumſtat, rabidus medios ſe immittit in hoſtes.
Extemplò erumpunt ſocii; velut aggere ſeptum (*f*)
Jamdudùm flumen, ſummavè crepidine ſaxi,
Cùm datur abducto in pelagus ſpumantibus undis
Obiice defluere, & lato ſe extendere fluxu.
Hic pugna: (*g*) Iſacidûm primò fortiſſimus Ammon
Excelſa de rupe, tua percuſſus Hydaſpe,
Cuſpide præcipitat; pariter qui gutture figis
Archiloſen juxà aſtantem, lituoque canentem.
Una, eademque tuba vitam cum voce reſolvis.
Nec tibi tuta ſalus; magno nam fragmine montis
Te premit, & cædem fraternam ulciſcitur Abner.
Sed quis ſanguineam cladem, quis funera cantu
Explicet, aut poſſit tantos evolvere luctus?
Huc omnis Romana cohors, huc omnis Hebræûm
Convenere. ruunt acri certamine miſti
Per ſylvam,perque arva micant tela undique,& enſes.
Fluctuat undiſonum ceù ſæpe agitantibus Euris
Hinc, illinc Borea confertis viribus, æquor;
Cùm vaſtæ ex imo in cælum jactantur arenæ,
Cùmque ſub ancipiti pendet victoria pugna;
Sic fuſim Iſacidæ, Romanique aſpera vibrant
Spicula, & alterna cæduntur ſtrage, caduntque.
At majora ferunt equitum mox funera turmæ,
Quas pius Euſtachius, glomerant, acerque Manaſſes.
Hic unà ſternuntur equi, ſternuntur equorum
Vectores, ægroſque trahunt ſub pondere queſtus
Trans-

(f) *Comparatio*. (g) *Nova pugna*.

Transfoſſi, exhalantque animas, crebriſque cruentam
Calcibus incutiunt terram ſonipeſque, virique.
Fulminat Euſtachius, campumque ingreſſus apertum
Limitem agit ferro: veluti cùm ſævit aratro
Villicus in violas, & ſumma papavera: adunca
Seù cùm falce ſecat flaventes meſſor ariſtas.
Hunc verò Iſacidum Dux, & ſæviſſimus Hebron
Diverſa medium invadunt ex parte: trabali (b)
Ille petit jaculo adverſum, ſummiſque retorto
Viribus, inque cavum, triplicique ex tegmine tauri
Cuſpis adacta venit clypeum, retròque recedit.
Nititur alter item configere terga ſecuri,
Et jacit; at juvenis, quò vix præſtantior alter, (i)
Obvius immiſum vulnus diſtorquet in auras,
Et ſimul inſtantis contrà, eluſoque frementis
Vulnere tranſadigit coſtas, & viſcera ferro.
Novit opem Euſtachius, taleſque in pectore vires
Miratus juvenis, nimio exardeſcit amore
Compellare virum, ignotoſque agnoſcere vultus.
Tùm ſic alloquitur: Quoniam tua cernere tempus
Quiſquis es, ora vetat, miles fortiſſime; nomen
Condere da ſaltem memori ſub pectore: certè
Pro meritis tibi digna feram, modo vita ſuperſit.
Hæc Heros; contra ille nihil, niſi, Agapitus, inquit. [k]
Et tulit ardentes ſæva inter prælia greſſus,
Quà furor armorum jam dicere plura volentem
Interfuſus agit; ſed vox, & nomen ad aures
Romulei Ducis allatum, quatit impete pectus,
Cogit & ad gemitum jam corda oblita dolorum.
Et ſubit Euſtachium patriæ pietatis imago,

Con-

(b) *Euſtachius aggreditur.* (i) *Ab ignoto juvene defenditur.*
(k) *Agapitus filius.*

Conjugis, & geminæ dira infortunia prolis.
O, ſi quis juvenis, Pie Dux, quis Agapitus ille
Noſcere Rex ſuperum daret! O quæ gaudia corde
Conciperes! quot complexus, quotque oſcula ferres!
Sed jam tempus erit; ſunt hæc prænuncia rerum.
Parte alia Artemion, Lucua comitante, Quiritum
A læva incautas circumdare nititur alas,
Quas Dyſmas cum fratre regunt, & Lucius acer.
Jam ſubeunt, fraudeſque parant, ſtragemque minantur.
Anſeribus ceù propter aquas paſcentibus auceps
Cum ſtruit inſidias, pedicaſque, autretia tendit.
Tum longè hoſtiles acies ſpeculatus abalto
Aggere, ſic verbis ſocios affatur amicos,
Hortaturque ſuos Dyſmas. [*l*] Delecti juventus
Hoſtis adeſt, fugite inſultus, advertite ferrum.
A tergo ſubit ille, dolis prò viribus uſus.
O pereat, fraudumque luat cum ſanguine pænas.
Hæc tantum; & rapidi calcaribus ilia figens
Aſper equi, occurritque viro, & ſic increpat ultrò.
Num piget Æneadis coràm contendere ferro,
Perfide? quid meditare dolos, quas inſtruis artes!
Scilicet occulere eſt animus tua nota per orbem
Crimina; ſed fruſtrà, infidos pia numina perdent.
Nil contrà Artemion verbis, ſed totus in enſem
Inſurgens, validum quatit inter tempora ferrum,
Et geminat. Clypeo intrepidus ferientis in auras
Conatum diſtorquet eques; tectuſque tenet ſe.
Sed non mille valet torquentum ſpicula ſolus
Diſiicere, & jaculis ſua viſcera ſæpe petentum.
Concidit ut multa colliſus grandine acanthus,
Quam

(l) *Dyſmas ad ſuos.*

124

Quam ſubitò immitis demiſit ab æthere nimbus.
Atque accurrenti jam tum, vulnuſque foventi
Germano hæc moriens dat verba noviſſima:Livi, (*m*)
Ne patrios repetas fines; Cervice revulſum
Ni videas hoſtis dirum caput: irrue ferro,
Hic tumuli ſupremus honos, hæc victima detur
Manibus una meis, oro: germane, ſubibo
Tartara ſic lætus, Letheſque innabilis undas.
Livius æterno claudentem lumina ſomno
Germanum ut vidit,monituſque,preceſque recepit;(*n*)
Ut leo, cui valida transfixum eſt cuſpide pectus,
Utque viæ in medio, ſaxo, rigidave bipenni
Saucius immanes ſerpens ſe effundit in iras;
Sic ille incenſus furiis, immobilis hæſit
Luminibus torvis, aſpectu, animoque furenti.
Mox oculorum acies circum per ſingula volvens:
Artemion, tuus hoſtis ego, mihi ſanguine pænas
Prò fratre, aut ſupera aſtra petas, aut tartara, debes.
Dixit, & actutùm medios ſe immiſit in hoſtes,
Mentis inops, nec damna timet, nec qualia vibret
Spicula. Ab excelſo veluti cum vertice montis
Defluit in præceps torrens, ſternitque ruenti
Agmine ſaxoſas moles, Sylvaſque, nemuſque.
Non aliter fuſim nullo diſcrimine ſtragem
Excitat immanem ſtimulis agitatus iniquis
Livius, Artemiona petens in millibus unum.
Martius huic comes, Auſonidum comitante caterva,
Additur, inque hoſtem rapido movet impete turmas.
Concurrunt acies hinc, illinc: aſpera ſurgit
Pugna, furor regit arma manu, vireſque miniſtrat.

G Ex-

(m) *Dyſmas moriturus ad Livium fratrem.*
(n) *Livius in Artemionem.*

Excipit Artemion Calarim, Saliumque Naumque,
Tres ſimul Allobroges: diſtrictum in pectore ferrum
Unus, & alter habet, jaculo ſed tertius ægram
Evomit è ſtomacho pariter cum ſanguine vitam.
Tres quoque, fulmineum quatiens audentior enſem,
Hebræos congreſſu uno, cervice revulſa,
Martius interimit; tum curru evellit ab alto
Mathuſalem, cui plura micant ab origine longa
Stemmata per clypeum, proavûmque inſignia regum.
Hunc ſublatum altè, parmaque adverſa vetantem
Spicula, deturbat terræ, & tranſverberat aures.
Te petit ante alios, in te ſua Livius arma
Dirigit, Artemion; nec tela inimica morantur.
Jamque in conſpectu longè tenet: efferus ira,
Impatienſque moræ, connixus viribus, alta
Voce tonat: Crudelis, habe quod miſſile Dyſmas
In te evibrat, habe: contortum umbone coruſco
Pellere Idumæus telum valet; impete in ipſo
Sed ruit, & lapſu ſonipes ſe tollit in auras.
Accurrit lætus caſu Germanus, & inſtat,
Nudatoque necem gladio, ſtragemque minatur.
Sed larga obruitur telorum grandine circum;
Qua certè occideret, valido ni Martius hoſtes
Diſiiceret telo inſtantes, illumque latentem
Sub clypeo eriperet fato, atque in tuta referret.
Clamorem Iſacidæ attollunt, clamore Latini
Reſpondent, coeuntque acies, cæduntque, caduntque.
Advolat Euſtachius tantis clamoribus actus,
Aſcenſuque petens humilis faſtigia clivi,
Emicat inſignis viſu, & fulgentibus armis.
Terribilis veluti clara ſub nocte cometæ
Ardeſcunt crines, miſeris infauſta ferentes;

Cum

Cum morbos, ſævamque luem mortalibus atro
Lumine portendunt, dirivè incendia belli.
Attoniti viſu ſubito trepidare rebelles,
Et dare terga fugæ. Nequicquam ſiſtere magnis
Quanquam illos Lucua effuſos hortatibus inſtat.
Diffuſi diverſa citos per compita greſſus
Accelerant; nec ſigna ducis, nec verba morantur.
Sive Deûm ſic fata illos ad funera cogant,
Sive, volente Deo, pluſquam mortalis in armis
Illis Euſtachius viſus: [o] per ſaxa, per oras
Præcipites equites miſti, pediteſque, duceſque.
Accipitrem quales fugiunt trepidantibus aliş
Nigræ, ubi palladia relegentes arbore fœtus,
Proſpectant longè volucres per inane volantem.
Extemplò Abdiæ rumor perfertur ad aures,
Demiſſas animis acies, vilemque cohortes
Arripuiſſe fugam, ac tenui diſcrimine lethi
Eſſe omnes. Brevior quà curſus, it ocyor Euro,
Exclamatque, vocatque ſuos, & præmia ponit
Hebræus, tollitque manus; verùm irrita ventis
Verba volant: illi ſocios clamore vocanti
Obvius inſultans riſu, dictiſque remordens
Antiochius: Sequere, exclamat, dux optime, fuſos,
Si potes, ac revoca ſocios in caſtra fugaces:
At prius hoc veniet, mea quod tibi dextera vibrat,
Telum; ait, & nitida præfixum cuſpide robur
Coniicit; emiſſum ſtridens volat impete certo;
Sed clypeo Abdiæ excuſſum, fodit ilia Zambri.
Zamber Idumæos inter ſcitiſſimus, alta
Seù mente aſtrorum curſus ſcrutetur, & ortus;

(o) *Euſtachius hoſtibus terribilis.*

Seù radio extremas orbis definiat oras.
Occidit infelix, & non ſua vulnera paſſus,
Crudeles terras, crudelia ſidera damnat.
Acrior incurſat diſcuſſo miſſile Hebræus,
Quàm vomit ignivomo glandes canna ænea bombo.
Et ſuper: I, ſequere infernas, ait, uſque cavernas.
Torſerat, hoc dicens, haſtam: contorta tenorem
Servarat, triplicemque cavi transfixerat orbem [p]
Romani clypei, tunicamque, aurumque trilicis
Thoracis; rupto tùm demùm in pectore ſidit.
Ilicet infauſto caſu perculſus amici
Auxilio ſubit Euſtachius, recipitque cadentem,
Inque ſinu fovet exhalantem vulnere vitam, [q]
Taleſque effoſſo fundentem è pectore voces.
Hoc mihi, non aliud, cognate & ſanguine, & ævo
Funus dulce venit: ſtygias jam lætus ad umbras
Invehor, extremas dum colligis aure loquelas,
Meque ſinu refoves. Valeas jam, chare, perennes
Dent tibi fata dies, claroſque per arma triumphos.
Interea per terga Ducis, perque alta foventis [r]
Brachia complexu morientem, concita nervo
Haſta volat, ſpatiumque viæ inter mœſta duorum
Ora ſibi molita, ſolo ſe condidit alto.
Vertitur hic Heros circùm, tantique requirit
Authorem ſceleris, notoque hæc intonat acer.
Hem ſcelus! Iſacidûm Artemion ſæviſſime, quidquid (ſ)
Mente, animoque potes, quidquid furor impius offert,
Hoc age; tempus adeſt, meritas quo, perfide, pœnas
Morte luas cunctorum operum, & tua deſinat ira.
Sub-

(p) *Occidit Antiochus.* (q) *Antiochus moriens ad Euſtachium.*
(r) *Artemion haſtam in Euſtachium jacit.*
(ſ) *Euſtachius in Artemionem.*

Subtrahe te nobis quantum potes; æthera pennis
Quære, vel infernas, Ditis regna invia, ſedes;
Non hodiè effugies, faxit Deus, impia claudas
Lumina, & effuſa abſtergas tot crimina vita.
Tum ſuper exanguem: Antioche, ah, fidiſſime, non te,
Non ego te talem vellem aſpexiſſe jacentem;
Sed meritas inter palmas, partoſque triumphos
Italicos mecùm fines, patriamque petentem.
Heù nimium miſerande jaces? inglorius autem
Non equidem: fato major tua geſta per orbem
Fama feret, nomenque tuum indelebile vivet.
Jamque vale, dilecte. Suis ad caſtra referri
Inde jubet ſociis, ſeque inter prælia miſcet.
  Jamque poli medium Phœbus confecerat orbem,
Et propius radiis oras luſtrabat Iberas.
Nec modus eſt pugnæ, nec adhuc vis prævalet ulla:
Portitor haud animas ſtygias vectare per undas
Sufficit, aut nentes abrumpere fila Sorores.
Ecce autem, ducente Philo, ſuccedit equorum
Agmen, & incautos a tergo invadere tentat
Romulidas: contrà Euſtachius, gentiſque Pelaſgæ
Dux Vultur ſeſe obiiciunt, teliſque laceſſunt,
Et nova, ceù nunquam tetigiſſent arma, retentant
Prælia: jam toto certatur corpore belli.
Hinc fuſim jactant alii fera tela, ſagittas
Hinc alii celeres arcu ſtridente per auras.
Et lato effulgent ferro venabula, & haſtæ,
Enſeſque, clypeique, cruentæque horrida clavæ
Robora, & armorum putridum genus omne per æquor.
Sylveſcunt parmæ telis, perculſa reſultant
Terga virùm, longèque ſonant cava tempora crebris
Ictibus, atque aer criſtis radiantibus ardet.

Undique mœrentes gemitus, & acutus equorum
Hinnitus, craſſique atra caligine nubes
Pulveris, & medio occurrentia ſpicula curſu.
Saxa cadunt, contorta micant in turbine cæco
Arma; ſed unde, latet; nemo ſua vulnera novit,
Nec necis authorem morientia lumina damnant.
Jam tandem Hebræi trepidi formidine, laſſis
Viribus, averſi retrò dant terga, Cyrenenque
Ire parant: magna clamat tùm voce monendo
Abdias, ſuſpecta doli quem mœnia terrent.
O, fugite inſidias: noſtra hæc ſunt caſtra: ſupremus
Vel rogus hoc nobis, vel erit victoria campo.
Quæ fuga, qui timor Iſacidis! ſtate: arva cupreſſus
Apta ſepulchrales ſunt hæc, palmaſque ferendo:
Has potius. Spumantis equi calcaribus armos
Perfodit hæc dicens, &, quà denſiſſimus urget
Æneadum globus, irrumpens, ſeſe intulit audax.
At ferus Artemion diverſa ex parte Quirites
Inſequitur, comitante Philo. Ferit enſe Selinum
Hic primò, atque Roham Cilicum de ſanguine priſco.
Ille tibi enſe caput, Belias, ſecat; ilia Boſnæ
Tranſadigit, latoſque humeros, & pectus Idumæ.
Tùm procul innexas aperit ſub pectore crates
Ex auro Alphani, pictas & murice veſtes. (t)
Qui moriens: menè Iſacidûm dux impie, ad ima
Tartara præmittis, ſævis qui manibus irem
Nuncius, adventumque tuum, tuaque acta reportem!
Ibo; at te fato claudentem lumina cerno:
Ergo comes venies. Hæc inter it agmina turbans
Euſtachius, latumque ſibi in caligine denſa

Cam-

(t) *Alphanus mortem predicit Artemioni.*

Campum aperit; te pugnantum inter millia quærit,
Artemion, te unum extrema ad certamina poſcit.
Jamque tenet contrà. Riguit formidine ſanguis (u)
Protinus Hebræo: vultumque, oculoſque videres
(Mens etenim præſaga mali) pallore refuſos.
Immitis veluti videat ſi ſæva Tyranni
Ora reus, commiſſa neci quem crimina damnant.
Tranſverſam ille aciem voluit, triſtiſque nefandum
Perlegit obtutu lethum, cauſamque, modumque,
Admiſſæque piget noxæ, atque immobilis hæret.
Sic ſtetit Artemion, viſuque intentus in uno
Palluit, effuſæ manibus laxantur habenæ.
Tùm veluti ſomno excuſſus, ſimul arduus omnes
Advocat ad ſeſe vires, ſimul ora frementis
Torquet equi, ſtimulatque armos, & cominus ĩquit. (x)
Expectata venis dudum ad certamina tandem,
Romane: aut ego, qui toties jam victor, opimis
Hæc etiam ſpolia adiiciam, numeroque gementum
Addam te pariter; vel me lætabere victo.
Quemque incerta manent ſua fata. His protinus omnes
Convertere oculos dictis, atque arma cruento
Subtraxere operi Hebræi, miſtique Latini,
Et medio ceſſere citi, & cinxere corona.
Biſtonio it ſublimis equo, molemque ſuperbam (y)
Membrorum, ingenteſque artus oſtentat Hebræus.
Mæonia cui pictus acu, & Gangetide gaza
Fulget, & aurato ardeſcit ſub tegmine coccus.
Ex auro galea, & criſtis ornata coruſcis.
Auratum clypei geſtamen, ubi ordine longo

 No-

(u) *Euſtachius contra Artemionem.* (x) *Artemion in Euſtachium.*
(y) *Artemionis deſcriptio.*

Nomina, & inſignes tituli cenſentur avorum:
Miſſile non validum dexræ, non deficit arcus,
Nec lateri fidus, quem baltheus alligat, enſis.
Aſper, acerba tuens, geſtuque horrendus, & armis.
Nil contrà Euſtachius dictis; ſed totus in enſem
Inſurgens, validis intorquet viribus illum.
Excipit in ſolido Artemion umbone cruentum,
Splendet ubi invictis adamas fulgoribus, ictum,
Et reprimit. Simul ac clypeo tremit impete dextra,
Pectuſque, & nemus umbriferum, colleſque ſupini.
Territus hic quadrupes ſe arrectum tollit in auras,
Humentique cruore ſolo delapſa revolvit
Terga, effunditque Hebræum, ſeque implicat armis.
Nititur Artemion ſtrictis ſe ſolvere loris, [z]
Implicitoſque pedes, durumque evadere caſum;
Sed ſubit Euſtachius, vaginaque eripit enſem,
Et ſuper: Iſacidum, Artemion, turpiſſime, dixit,
Qui tibi nunc ſenſus? quæ mens? meruiſſe negabis
Hoc fatum prò perfidia, prò fædere rupto?
Impie, quot ſtygias noſtro de ſanguine ad umbras
Miſiſti egrègias animas? en vulnere damnant
Hoc te rupta fides, Trajanus, & ipſe meorum
Sanguis, adhuc recalent quo littora, & arva Cyrenes.
Viciſti nè ergo! [exclamat Judeus] & ibis
Me victo ad patrios fines impune? cruentum [a]
Arripit hoc dicens, ſaxum, & jacit: inde recluſum,
Poplite ſubſidens, rotat enſem, & lata frementis
Ilia figit equi, pronumque effundit arena,
Seſſoremque ſuper. Strato ſe protinus alto
Erigit Euſtachius, jaculoque innixus acuto

Im-

(z) *Artemion equo excutitur.*
(a) *Artemion ſaxum jacit in Euſtachium. Inde gladio ejus equum interficit.*

128

Implicitum loris hoſtem, fruſtràque volentem
Solvere, ſub pectus valido tranſverberat ictu,
Inde alio ſuper, atque alio. Per ſaxa, per atram
Illum raptat humum ſonipes effuſus habenis,
Pendentem vinclis, ſeque in ſua crura plicantem;
Et ſæpe æratis collidit calcibus ora.
Infelix trahitur; voces, vultuſque minaces,
Armaque, colliſoſque artus, animamque frementem[b]
Diſiicit hùc, illuc, Stygiiſque obvolvitur umbris.

Finis Libri Quarti.

EU-

(b) *Artemius moritur.*

Digitized by Google

EUSTACHIADOS

LIBER QUINTUS.

ARGUMENTUM.

Ægyptum petit Abdias, celſumque Canopum,
Ægyptum Euſtachius: reperit cum conjuge natos.
Hic Theopiſtæ audit narrantis fata: ſalutem
Hic quoque natorum: pugnatur in æquore; victus
Abdias fugit in Cyprum; hic abſumitur igne.

Verterat occiduas currum jam Phœbus ad oras,
Et latè in terris tenebræ, & vaga ſidera cælo.
Iſacidæ tanto trepidi diſcrimine belli
Diffugiunt, verſiſque armis, dant terga Latinis.
Et ſinit illæſos denſis nox addita pennis
Ire: ſtrepunt paſſim rauco nam cornua cantu
Romulidum, optatamque vocant per membra quietem.
Per noctem diffuſa locum convenit in unum (a)
Gens Judæa; graves caſus ubi, & ægra ſuorum
Fata recenſentes, quæque his majora timerent,
Conſilio feſſis longo ſuccurrere rebus
Qui modus exquirunt, duræque obſiſtere forti.
Omnibus infida viſum eſt diſcedere terra
Continuò, Ægyptumque ſequi, ſubitoqne tumultu
Mœnia Alexandri impetere, excelſumque Canopum.
Nec mora, procedunt triſtes, lacrymiſque profuſis
Deſtituunt natale ſolum, caroſque ſuorum
Complexus, quæque arte diu, & ſudoribus ægris
Au-

(a) *Judeorum conſilium de diſceſſu à Cyrene in Ægyptum.*

Auxerat aſſiduus labor, & ſors mitis avorum.
Mane novo hoſtis abeſt: profugos abiiſſe rebelles,
Et Cyrenæo ceſſiſſe è littore narrant.
Ingreditur ſpoliis urbem decoratus opimis
Heros, oblatamque fidem, dextramque precantum
Accipit, atque omnes dictis demulcet amicis.
Ponunt, ſi qua animis odia, infenſumque furorem
Corde fovent cives, Judæo aut ſanguine miſti;
Seu quos libertatis amor (mutabile vulgus)
Moverat; atque Duci ſociæ dant fædera pacis.
Extemplò egregii pietas, & nomen in urbes
Finitimas Ducis effertur, totamque pererrat *(b)*
Pentapolim, multaſque trahens ad mœnia gentes,
Muneribus cumulat dextras, menteſque ſerenat.
Omnes ille pari ſtudio, ac pietate receptat.
Hos decorat meritis, vultu hos ſolatur amico,
Pignore devincit fidei, lætoſque remittit.
Poſt ubi pacatis animis parere Latino
Cuncta videt ſceptro, nec rurſus poſſe favillas
Armorum extinctas penitus recaleſcere; fixus
Ardentes ad cælum oculos, & corda, precando
Hos ſupplex retulit ſenſus: Tibi Summe Deorum, *(c)*
Surgat honos, uni tibi detur adorea facti.
Quænàm etenim tanti merces mihi certa laboris?
Quævè apud humanas ſuccedet gratia mentes?
Si prò tè tantis caput objectare daretur
Caſibus, aut hæc dura pati; meliora manerent
Longè equidem palmæ me præmia: tutius, inquam,
Morte obita, inſigni redimitus tempora ſerto
Gauderem jam pace frui, palmaque perenni.

O

(b) *Euſtachius humanitas, & munificentia.*
(c) *Euſtachii oratio.*

O liceat, (quid enim ignavos hic demoror annos?)
Diſtrahere hinc liceat miſeranda per omnia vitam,
Quo me cumque tui ferat ardor, & æmula virtus
Aurea tot procerum feliciter aſtra colentum.
Hæc orans incurvus humo mille oſcula figit.
Mox auferre jubet caſtra, effuſaſque cohortes (*d*)
Colligere, & claſſem ſociis, armiſque parari;
Ut ſimul Iſiacis Hebræos pelleret oris,
Et res imperio componeret: Ilicet altum
Inſtructæ tenuere rates. Jam cærula verrunt,
Jamque Parætonii proſpectant littora longe.
Nox erat interea & fuſcas emiſerat alas
Noctis avis, circumvolitans per tecta, domoſque,
Et pelago claſſis valido cita remige, & auſtris,
Ibat, & optatum tremulo ſub lumine Phæbes
Intendebat iter: Tùm ſecum in ſede remota
Euſtachius de more pias è pectore voces
Effundens, ſuperos animo penetrare penates
Ardebat. Trahitur dulces jam præpete mentis (*e*)
Exceſſu ad viſus, divinoque excitus æſtro,
Ætheriaque ſuperfuſus dulcedine, languet.
Jam ſopor immotos ſubrepens occupat artus.
In ſomnis patet ante oculos lætiſſima vultu
Fæmina, quam crebris gemini complexibus arctant (*f*)
Penè ætate pares juvenes, matremque ſalutant.
Aſſimiles illis vultus, vocemque, coloremque
Aſpiceres, flavoſque gravi ſub caſſide crines,
Et ſæpe Euſtachium, & Theopiſtam ſæpe vocantes.
Attonito his viſis micuere in pectore ſenſus,

Et

(d) *Romanæ claſſis in Ægyptum profectio.*
(e) *Euſtachius a ſenſibus abſtrahitur.* (f) *Euſtachii viſio.*

Et ſimul exclamat: Nati, Theopiſta: vocantem
Excutiunt ſomno illudentia gaudia, & ipſum
Fruſtrà eluctantem contrà, & quam plura volentem
Dicere deſtituunt, ſomnique, & viſa recedunt.
Hei mihi; quæ miſerum turbant inſomnia! clamat,
Quævè levem eripiunt animo ſimulacra quietem?
Quæ Theopiſta, miſer, qui nati? ah, dulcis amator,
Terrarum veſanus amor mea pectora torquet.
Hactenus & veteris recalent veſtigia flammæ.
O, abeant: Tu ſolus amor, tibi, Chriſte ſacravi
Corda, tuum eſt penitus curas abolere caducas.
Quid mihi cum terra? ſpecies procul eſte profanæ.
Hæc ait, & validas damnantis turbinis iras,
Hortantiſque rates torquere, & carbaſa vento
Rectoris ſocios, duriſque inſurgere remis,
Percipit aure ſonos. Clamanti è ſedibus illi
Occurrit, magnoque videt jam murmure pontum
Miſceri Euſtachius, venturaque damna minantem.
Atque ait. Antigene, inſanonè abſiſtere ventó?
Cede viam velis; primiſque allabere arenis.
Nec plura; Actutùm complentur vela ſecundis
Flatibus, & claſſem terræ accepere propinquæ. [g]
Quà pleno Nilus Lybicum ſe effundit in æquor
Flumine, Chartaneique fluit per rura feracis,
Eſt portus; dexra ſcopuli, lævaque ſupini
Quem vallant, placidaſque parant venientibus umbras.
In medio convallis, aquis, cannaque paluſtri
Uſque virens, cultiſque diù fæcundior hortis.
Hùc plenis ſubeunt vetis: jacta anchora proram
Siſtit, & in ſicco ſpatiantur littore nautæ.

Vix

(g) *Claſſis in Ægyptum fertur.*

Vix jubare exorto, latè diffunditur omnis
Rura per, & colles, circumque per arva vagatur
Miles, & armorum dejecto pondere, paſſim
Pinguia ſe vario oblectat per jugera greſſu.
Hic trahere undivagos hamis, & arundine piſces,
Rupe ſedens: ille aereas captare volucres,
Aut celeres agitare feras. Tangentia nubes
Sunt qui excelſa Phari mirantur culmina longè, [*h*]
Gratum nautarum lumen: qui educta ſuperbis
Regia pyramidum in cælum miracula ſaxis,
Sufficit his umbras patulis colocaſia ramis, (*i*)
Verſaſque in calathos ſcitè, & carcheſia, frondes.
Illis uda palus teretis dat vimina junci,
Nobilium geſtamen adhuc, belloque potentum.
Haud procul, acclivi quà ſe ſuſtollit in auras
Vertice, & irriguas fundit per viſcera rupes
Guttas, hortus erat, gleba, & felicibus uvis
Dives, quem lato paries munimine vallat.
Hunc juxtà tùm fortè ſacras adolebat ad aras
Thura, vaporiferis ſemper redolentia acerris,
Flamen, & Ichneumon, ſupplex te numen amicum [*k*]
Supplicibus votis, ſacroque colebat honore,
Quem pavet infectum limo Crocodilus, & aſpis.
Damnavere Deum, & vanis data thura Quirites
Numinibus; verùm ante alios incanduit ira
Miles: &, O, Divis quæ deteſtanda profanis (*l*)
Dona paras, Gens cæca? inquit; quot numina fingis.
Unum crede Deum, totum qui numine complet.

Nec

(h) *Turris navigantibus lumen præbens nocturno tempore.*
(i) *Colocaſia*, *vulgò* Fava di Egitto.
(k) *Ichneumon luto involutus Crocodilum interimit; ideoque ab Ægyptiis colitur.* (l) *Agapitus.*

Nec plura, impatiens aliò veſtigia vertit,
Et ſimul his dictis virides ſe immiſit in hortos.
Hunc ſequitur Juvenis verbis commotus, & aura (*m*)
(Quis dubitet?) ſupera, divoque afflamine; & una
Huc illuc digreſſi, animos ſermone levabant.
Devenere locum, oblongis quem frondibus umbrat
Palma virens, juxtàque humili magalia tecto.
Præbuit herba locum feſſis: Tunc protinus alter,
Qui modo flagrantes ſacra execrantis ad aras
Militis audierat voces: Fare, inquit, (amico
Numine ſic ſuperi firment mea vota) quod ultrò
Excidit ore unum Numen, quod cuncta gubernat?
Quæ tibi relligio eſt? Divum qui cultus, & horror?
Non ego te Auſoniis obſtrictum ritibus, armis
Quamquam jam Latiis video, ſigniſque merentem,
Non te Gradivo cumulantem altaria votis
Credo equidem, non ſacra Jovi, divoque Quirino.
Menè Idola Deûm venerari? (ait alter) olympi,
Terrarumque, Erebique Deum ſic credimus unum,
Cuncta ſupercilio qui torqueat; ut ſimul omnes
Damnare effigies, ſimulacraque vana Deorum
Effuſis animo ſedeat per vulnera venis.
Chriſtiadum me è gente habeas, luſtralibus undis
Impoſitum a teneris cui nomen Agapitus annis.
Cum Chriſti pia jura ſequor, tum Numen adoro.
Intento dictis juveni per viſcera ſanguis
Hac vice ſermonis ſtupuit; tacitoſque repreſſit
Labra inter gemitus: mox ſubdidit: O mihi vita
Chare magis, memorare velis ab origine prima
Qui rerum caſus, qui te genuere parentes;

Nam-

(m) *Theopiſtus*.

Namque eadem (gratare) regunt nos fata ; meremus
Chriſto felices iiſdem ductore ſub armis.
Grata quidem , ſi vera , refers mihi , Agapitus inquit ;
Sed nè coge , precor , longum memorare dolorem ,
Nè recrudeſcat lethale in pectore vulnus .
Hac liceat jam pace frui : quis namque recenſeat ,
Quæ paſſi Euſtachius quondam,& Theopiſta parentes!
Quæ germane ſimul mecum , Theopiſte ? per omnes
Queis tamen exactis caſus , quæ fata ſuperſint ,
Aut ubi ſint , me fallit adhuc . Proh ſumma ſuperni
Numinis (exclamans alter , palmaſque ſub auras
Protendens , inquit) pietas ! proh cognita mentis
Nuſquam conſilia excelſæ ! Jam deſine fratrem [n]
Quærere , frater ; habes jam , complexuque fovetur ,
Chare, tuo . Non plura ſtupor,nec pectora complens ,
Sivit amor . Lacrymas , preſſiſque effuſa videres
Gaudia pectoribus , repetitaque verba viciſſim
Pendentum amplexu,Dominumque in vota vocantum.
Haud procul , è cultis virides quæ legerat herbas
Areolis , riguoque illas aſperſerat amni ,
In rigido mulier ſaxo jam feſſa ſedebat . [o]
Olli palla rudis , cœno , & centone referto
Verſicolor , breviorque pedes quàm tangeret imos .
Nulla ligant canos , ni ſparthea vincula , crines ,
Quos premit obtrito turrita calantica panno ,
Inque humeros demiſſa : ſitu , rugiſque nigreſcunt
Ora , diu Icarios ignes , hyemiſque pruinas ,
Fortunæque vices damnantia : at inclyta frontis
Majeſtas ſervatur adhuc , & nobile priſci
Indicium generis , nec rus manus apta colendo .
Au-

(n) Fratres cognoſcuntur . (o) Theopiſta Mater .

Audierat tùm forte ſonos, & dicta loquentum
Illa, viceſque ſuis ſimiles, & amica ſuorum
Nomina, & impatiens cuperet jam cominus illos
Noviſſe, amplexuque ſuos invadere natos;
At ſtygiæ miſeram torquent conamina fraudis,
Tartareique doli, ſatis in ſua damna parati,
Et cultus nimium infelix, & turpis egeſtas.
Quid faciat? vario pendet ſententia motu.
Et preſſos movet illa gradus, retròque reflectit,
Fertur & in dubium duplici ceu flamine puppis.
Puppis ut undiſonis agitata hinc flatibus Euri,
Illinc vorticibus contrà refluentibus æſtu.
Irrequieta diu, neſcit quæ juſſa capeſſat.
Jam ſubitura domum, premitur ſed inepta retrorſum.
Neſcia, præpediat greſſus, & amantia ſiſtat
Lumina, quæ moles, quæ vis agat uſque morari.
Cum talis delapſa polo vox perculit aures (p)
Sat lacrymis, Theopiſta, datum; meliora ſequentur.
I, pete, ne timeas, natos, pete caſtra, Ducemque,
Euſtachiumque virum Placidi ſub nomine noſces.
Excutitur tali illa ſono; tùm brachia tendens,
Incautoſque petens natos, hæc protulit altè.
En, mea progenies, me me, adſum, agnoſcite, matrem.
Illa ego ſum, chari, quæ vos genuique, tulique, (q)
Quæque Deo peperi, ſuperiſque faventibus aſto,
Hæc ſimul, & lacrymas longis complexibus addit,
Agnoſcitque, fovetque ſinu, fruitúrque fovendo.
Attoniti tanta rerum novitate recuſant
Olli aſſentiri juvenes, matremque vocare;
Sed fando exhibitis ſignis, rebuſque relatis,

H Et

(p) *Vox è cælo ad Theopiſtam.*
(q) *Filiis dat ſe cognoſcendam.*

Et patriam, & genus edocti, & data nomina Chriſti
Militiæ, agnoſcunt illam, matremque ſalutant,
Letitiæque edunt plauſus; ſed ſingula Chriſto
Verba inter referunt grates, & munera laudum.
Quæ poſtquam longè media inter gaudia, & imis
Cordibus effuſas lacrymas ſunt acta; petendi
Qui modus Euſtachium tanta inter caſtra ſeorsùm,
Quodvè opportunum referendi talia tempus,
Conſilio, longoque ſimul ſermone requirunt.
Stat demum ante Ducem mediis in millibus illam
Siſtere, & hæc cunctis narrare arcana remotis.
Jam tanto inſiſtunt operi, jam tempus agi res,
Et Ducis aſpectum vigili è cuſtode repoſcunt. (r)
Admiſſi è Placido penetrali in ſede loquendi
Expoſcunt veniam; molles nè in gaudia ſenſus
Lapſuros, lacrymaſque pias, notet arbiter ullus.
Intereà exoritur ſpectantum in mente cupido,
Quæ mulier, quæ tanta ferat ſecreta, rogandi;
Præcipuè Primos inter, fidoſque, Duceſque,
Quos penes arbitrium belli ſtetit: omnibus idem
Ardor ineſt rerum ſcrutari, & quærere cauſas. (s)
Cuſtodem tamen ante alios hæc cura remordet.
Quippe dolos timet hoſtiles ubi fraudis abundè eſt.
Hic leviter portæ tentat modo robora, & aures
Admovet arrectas; circùm modo fertur, & urget.
Tandèm clareſcunt voces, & dicta loquentum,
Plorantumque hilares gemitus, & gaudia plenis
Fuſa animis: ſæpe Euſtachii non nota vocantur
Nomina, ſæpe patrem celebrant, matremque verentur.
Ec-

(r) *Euſtachium adeunt.*
(s) *Excubiarum timor, & vigilantia.*

Ecquis erit modus? impatiens ante oſtia cuſtos
Inquit, & ingreſſu tentat recludere valvas. (t)
Protinus Euſtachius jubet omnibus eſſe patentes,
Admittitque Duces, fidóſque, & gaudia complet.
Admiſſos rerum novitas ſuſpendit ad unum
Inſperata omnes: dubiis nec mentibus éſſet
Certa fides; Theopiſta duces ni nomine quoſdam
Ederet, & Latios mores, & certa notaret
Tempora. Paulatim releguntur imagine vultus
Trajanæ ſpecies, voceſque, & ſigna loquentis.
Non mihi, quæ tanta fuerint novitate per omnem
Gaudia, qui plauſus, claſſem, comprendere verſu
Eſt animus tenui; quis enim ſatis eſſet? & æquor
Applauſu, & ſyrtes, colleſque, & turbida Nili (u)
Oſtia, & ingenti vocum certamine latè
Concentu vario reſonabant æthera circum.
Veliferis malis fluitantia ſigna per auras
Exagitant zephyri: lituis, atque ære canoro,
Et patrio percuſſa diù ſiſtro aſſonat echo.
Sollemnes celebrare parant ex ordine ludos,
Et delubra Deûm petere, atque altaria ritè
Thuricremis onerare focis, cæſiſque juvencis:
Quæ nè explere velint verbis hortatur amicis
Dux pius; at Phariis hoſtem depellere terris;
Cùm ſol Eöo veniens nova lumina ferret.
Intereà in naves binos dat habere juvencos;
Ductoreſque ſuas, fidoſque admittit ad eſcas,
Et lautè inſtructis epulis ſua gaudia ſignat.
Jamque coronatis recaleant in puppibus alte
Per ſudum feſtiva toris convivia pictis;

(t) *Euſtachius rem patefacit.* (u) *Signa Lætitiæ.*

Lætoque indulgent Baccho. Sonat undique fauſto
Omine Trajanæ; Placidique per aera nomen
Spumantes inter pateras, epulaſque calentes;
Atque repercuſſis reboant cava vocibus antra.
Vix dapibus compreſſa fames, & pulſus edendi
Ardor, ineſt animis illorum maximus alter.
Nimirum infandos natorum ediſcere caſus,
Quotque eadem tulerit Theopiſta adverſa, Tyranni
Eripuit cum ſe è manibus, jam terna vagando
Luſtra Canopæas fatis agitata per oras.
Annuit Euſtachius, cunctiſque tacentibus, inquit
Sic Theopiſta prior. Nè ſit, precor, ordine longo (x)
Vobis tantus amor mea fata audire, Quirites.
Non etenim mentem ſubeunt, nec tempus abundat.
Feſſis grata quies, noctiſque ſilentia ſomno;
Sed brevibus faciam. Natis, Placidoque relictis;
E Peluſiaca Tarchonti excedere terra
Cura fuit: (Tarchon Nauclerus nomine dictus.)
Mèque aliò tutam ſecùm deducere prædam
Atque ait. Unanimes ſocii, quæcumque ſuperſunt
Lucra, licet vobis veniat ditiſſima merces,
Cedo libens; mulier ſervetur ut unica tantùm
Hæc, & habenda mihi detur: conſurgite remis,
Et cæptum fauſta in patriam dent ſidera curſum.
In mè dehinc turpis petulantia lumina volvens; (y)
Acceſſu tentat lacrymantis, & aſtra vocantis
Blandiſonis verbis, ſi fas, lenire dolorem
Heù quibus abſtinui verbis! quot probra, quot iras (z)
Effudi in turpem demens, & dira tyranni

Un-

(x) Theopiſta ſuam narrat Hiſtoriam.
(y) Tarchon Theopiſtæ amore captus. (z) Theopiſtæ conſtantia.

Unguibus ora petens ! quoties invadere ferro
Tentavi ? obſcænam quoties abſumere vitam !
Orba velut catulis tigris , ſi fortè ſuorum
Raptorem videat : ſeu cum fremit ore cruento
Saucius , inflictum ſi in pectore ſentiat ictum ,
Seque in fixa rotat leo ſpicula : ſic ego turpem
Illum accedentem quoties , dictiſque videbam
Conantem inſidias , probris , ſæviſque protervum
Oppugnabam odiis : ut ſic exoſus abiret ,
Aut ageret mea (quod cuperem) per viſcera ferrum .
Tandem ait abſcedens : Trajana , abſiſte dolendo ;
Namque dies animo paulatim aboleſcet amorem
Natorum , Placidique tui , & mecum eſſe juvabit .
Interea pendet vario ſub judice dictum
Tarchontis , nautaſque inter diſcordia gliſcit . (a)
Sunt qui ſponte illi indulgent , & poſſe potiri
Me pretio affirmant nauli , & gratantur amico .
Aſt alii violare tori pia jura jugalis
Grande nefas dicunt ; & ſi violanda , legendum
Armis eſſe virum , vel ſorte , actoque fritillo .
Hos inter conſtans animo , & virtute , minaces
Tarchonti oſtendit vultus , atque inſtat Amilcar .
Nec mora , proſiliunt tranſtris , remiſque relictis ,
Arma petunt ; clypeiſque manus , atque enſe coruſco
Induti , in miſeram raptim facto impete tendunt.
Diſtrahor infelix huc , illuc : mittit iniquas
In mea colla manus Tarchon ; furit acrior urſo
Rivalis , ſtrictoque ferit caput enſe trahentis .
Qui mihi tunc ſenſus , qualiſvè in pectore ſanguis ,
Dicite , nam ſummo ſpectaſtis ab æthere vos me

(a) *Seditio inter Nautas.*

Cœlicolæ, & madidis forſan ſpectaſtis ocellis.
Defeci diſciſſa comas, veſteſque fluentes,
Procubuique ſolo media, incurſuſque ruentum
Implicui, ſaltuſque citos, lapſuſque cadentum.
Sic tauros inter metuens, dum prœlia miſcent,
Quos agitat veſanus amor; ſtat munus amantum
Bucula: ſic gemit immites deprenſus in aura
Accipitres inter lethali carmine turtur.
Tùm pietate gravis quidam, & cui plurima mento
Canities; ſed non effætæ in corpore vires, (b)
Exclamans medius: Quæ vos inſania cepit,
Qui furor, o juvenes? alterno vulnere mortem
Oppetere, ut minimè fallor, prò crimine tanto!
Jam finite; & proprio ſervetur nupta marito;
Sin nec jura movent, ne vos pia numina; ſorte
Eligite, & cui fata adſunt felicia, detur.
Dixit, & extenſas palmas ad utrumque tetendit,
Prœlia diripiens, ſociiſque faventibus, ambo
Exuti ferro diverſa in parte locantur.
Me verò exanimem, & cui mens e at anxia, lethum
Illis, anne mihi cuperem in diſcrimine tanto,
Longævus ſuſcepit humo, ſecumque recepit
Ad clavum; namque ipſe ratem mira arte regebat.
Atque ait: Abſcedant triſtes è corde timores,
Sume animos, mulier: Superiſque è ſedibus opta
Subſidium majus: quoniam ſi in corpore vires,
Quæ quondam, nos una ſalus, morſvè una maneret.
Verum ſæpe malos, memini, ſua crimina perdunt;
Atque ubi nulla ſalus, dextro ſtant numine Divi.
His ſenior dictis nimium lenire dolorem.

Ec-

(b) *Rector navis prò Theopiſta.*

Ecce autem valido ſurgens Aquilone procella, (c)
Inque latus volvens vaſtis ſe fluctibus, oras
Has petere, & nautas propiori inſiſtere cogit
Littore; ne ſerò caſus vetuiſſe pigeret.
Id mihi ſperavi, fateor, cælo auſpice totum
Eveniſſe: ratem tranquilla per æquora vectam,
Jam curſu in medio ad terras Aquilonibus actam:
Et mecum volvebam animo quà fallere poſſem
Arte viros, quodvè auxilium mihi rebus in arctis.
Optaſſem ſcopulis abies gemuiſſet adeſis,
Aut ſomno in ſiccis clauſiſſent lumina arenis
Nautæ, quo fugerem inſidias, & damna pudoris.
Non mea transfigi, detur modo miſſile, ferro
Viſcera parſiſſem prorſus, tua jura priuſquàm
Solviſſem, pudor alme, meæ pars maxima vitæ.
Invaluere undæ interea; per cærula puppis
Fertur, & his curſu breiviori allabitur oris.
Hic memori ſervans ſub pectore Amilcaris auſus
Tarchon, objectaſque ſuis conatibus iras,
Mille movet ſecùm fraudes, & mille nocendi
Corde vias, offertque illi ſub fronte ſevera
Triſte ſupercilium, & menſas negat eſſe parandas.
Non patitur juvenis, fervent in cordibus iræ.
Incenſis veluti ſi quis fornacibus eſcas
Conjiciat, ſiccamque rogis crepitantibus addat
Materiem; piceos evolvere ad æthera fumos,
Flammarumque globos latè videt: impetus illis
Sic novus effervet dictis, atque ultima ferro
Eſt animus tentare ſolo diſcrimina; ſaltu [d]
Præcipites ambo in medias labuntur arenas,

(c) *Procella navem in Ægyptum impellit.*
(d) *Nautarum conflictus.*

Et nova ferali committunt omine bella.
Extemplò nautis puppis vacat: illicet omnes
Diverſa ex parte armatis concurrere dextris
Hortatur pietas, triſteſque eludere caſus.
Et ſimul occurrit ſenior, ſtudioque ſenili
Extendens longè palmas, veſtigia turbat.
His animadverſis, dùm ſe illi in prælia miſcent,
Et procul ingentes arrectis auribus aſtans,
Clamantum accipio voces, & ad arma ruentum;
Hæc mecùm: Fecere meæ, ni fallor, amicum
Libertati aditum Superi, quid gratius unquam?
Eja age, ſume animos fugiens ad utrumque paratos,
Seù ſervare fuga, pulchra ſeù morte pudorem.
Hæc ſimul, & dextra rigido, qui fortè jacebat (e)
Tranſtra ſuper, gladio induta, per ſaxa, per algas,
Quà nulla extarent pedibus ſtigia fixis,
Obſervanda, gradus celero, ſylvaſque requiro.
Nec prius incepto (quamquam timor anxius inſtat,
Inſuetumque fatigat iter) deſiſtere viſum eſt,
Quàm procul arboribus ſeptam, piceaque cavernàm
Fronde ſub exeſæ inveni mihi rupis hiatu.
Illic me pavidam Lemures comitantur, & umbræ
Illic mentis inops peregrina, & fœmina ſervor, (f)
Nulla ubi tuta ſalus, ſed aperta pericula vitæ.
Anguibus heu quoties eſca opportuna, feriſque
Sum viſa! & cælo incolumis miſerante ſuperſum!
Inſomnes quoties, ululantibus undique ſylvis,
Infelix egi noctes! jejunia ventrem
Longa avidum preſſere diu; nec carpere frondes,
Nec liquidas haurire undas è fonte ſinebat

Uſ-

(e) *Theopiſta è navi in tutum ſe recipit.*
(f) *Theopiſta timor. Inter luſtra.*

Uſque timor. Donec paulatim ſueta timendo
Corda, necis minus eſſe mora didicere timendam
Jure necem, longumque mori crudelius ipſis
Eſſe feris. Miſeræ victum ſuffecit, & undam
Irriguo limoſa palus, quæ è flumine manans,
Cænoſis ſtagnabat aquis, herbiſque virebat.
Jam tandèm progreſſa, caſas, vicinaque adibam
(Neſcia quò ferrent calles) magalia circùm.
Et labor effuſo victum ſudore parabat.
Tùm caſus miſerata meos, jam conjuge functo, (g)
Triſtis anus, cui ruris erant bis terna relicti
Jugera, me comitem, natamque in rura recepit.
Hic vitam ex illo facilem produximus una
Tempore, & unanimes aluit nos ubere læto,
Maturiſque ferax pomis, & ſemine agellus.
Nobis alma quies, & neſcia fallere vixit
Simplicitas: certabat amor, nè optanda ſubirent,
Vexarentque animos melioris tempora vitæ.
Sæpe mea venum velamina picta per urbes
Illa ferebat acu, Tyrioque imbuta veneno.
Pinguibus unde epulis nobis quandoque calebat
Menſa: nec artificis ſortem, nec fida retexit
Illa genus, quanquam dictis, & munere grato
Sæpe illecta foret; ſed opus, dextramque magiſtram
Quærendam è Latio addebat reſponſa petenti.
Mille procis placui vicina colentibus arva.
Mille inter primos thalamo petiere jugali
Me juvenes; quos illa meis hortatibus omnes
Paſcebat dictis, probriſvè arcebat amaris.
O diræ libuiſſet adhuc tua ſtamina Parcæ (h)
Du-

(g) *Anus Theopiſtam recipit.*
(h) *Anus moritur.*

Ducere, (pleno etenim Phœbe bis orbe recrevit,
Ex quo relliquiæ tumulo, tuaque oſſa quieſcunt.)
Non ego Niliacis abduci, mater, ab oris
Te ſine, nec paterer patrios inviſere fines.
Una foret mihi cura tui, memorique ſederet
Officium cordi, quaſcumque attingere terras
Contigerit, comitem lateri te affigere noſtro,
Tecum partiri curas, tecum eſſe ſepulchro.
Hæc ſunt ſumma, Duces, noſtri faſtigia caſus,
Hæc fluxæ è multis potuere occurrere menti. (*i*)
Sic memorans caſus, actæque pericula vitæ
Omnibus intentis breviter Theopiſta ferebat;
Narrando tamen abſtinuit pia dogmata Chriſti
Clam plures docuiſſe, ſacræque aſpergine lymphæ
Credentes laviſſe, Fidemque auxiſſe docendo.
Sic quoque præteriit qualem ſine crimine vitam
Arva per, & colles terquinis duxerit annis,
Omnibus inconcuſſa malis, & neſcia flecti,
Naucleri obſcænas ſeû cum contempſerit artes,
Inſtanteſque minas; ſeu cum fera bella, doloſque
Vicerit Infernos, tuleritque ex hoſte triumphos.
Tum ſic Euſtachius: Natorum audire labores (*k*)
Ne longo ſermone, Duces, ſit cura: quietem
Dum tenebræ, & cælo labentia ſidera ſuadent.
Hos ſat erit paucis complecti, advenit ad aures
Quod dudum noſtras, unà narrantibus ipſis.
Hic ætate prior, cui nomen Agapitus: ipſum
Pendentem rabidæ deflevimus ore Leænæ,
Pinguis dum catulis fertur cibus. Obvius hædos

Pa-

(i) *Narrationis finis.*
(k) *Euſtachius breviter natorum caſus narrat.*

Paſtor agens, fato miſerum ſervavit, & ulnis
Conjugis incolumem tribuit, leve pondus alendum.
Nec tibi diſſimili caſu Theopiſte, ſalutem
Eveniſſe refers. Siquidem tè ex ore luporum
Eripuit juvenis, quo non præſtantior alter.
Hic secùm in ſylvas, interque horrentia luſtra
Contulit, & teneris cervæ dedit ubera labris:
Inſolitis paſtus mammis, & lacte ferino.
Editus inde puer, ſtrophioque indutus olenti,
Aſſueſcis funda volucres dimittere ab alto,
Aut lepores curſu, aut damas agitare ſagittis.
Sic ambo ignotam egiſtis, vobiſque malignam
Ætatem in ſylvis, modo rus geniale colendo,
Et modo venando. Mavortia ad arma vocati
Auxilio Superum tandèm, inſperata parentum
Brachia complexu petitis, charoſque fovetis.
Hæc tantùm Euſtachius, vario quæ murmure cœtus
Concelebrat, grateſque Deis, laudeſque rependit.
His ſtupidas nequeunt rerum miracula mentes
Explere, hi fando referunt audita, viceſque;
Et veris falſa admiſcent. Augeſcit eundo
Murmur, & in totum paſſim diffunditur agmen:
Intonuere tubæ, repetitaque gaudia plauſu
Effudere iterum, latumque è ſedibus imis
Aſſonuit celebri pelagus clangore tubarum,
Clamantumque ſimul: Placido, bona numina, Parcæ,
Addite volventi felicia ſtamina fuſo,
Addite Trajanæ volventia ſæcula, Divi.
Interea è pelago celeri vicina legebat
Littora remigio lembus, claſſemque petebat.
Jamque propinquabat; vigiles è puppe requirunt
Æneadæ genus, & patriam: Scitantibus acri

Cum

Cum gemitu rector cupidas ſit reddit ad aures : (*l*)
Romulei proceres, ſi vos cura anxia mordet
Imperii, ſi veſtra decus præcordia cangit,
Si dolor, & pietas ſociûm; ne quærite quæſo
E nobis genus, & patriam. Quot milia ferro
Impius occidit Romano è ſanguine Hebræus,
Ultrices pænas totidem, & genus omne malorum
Supplicibus votis umbrarum ab ſede precantur.
Romulidæ fuimus Memphæa per arva: Latinum
Vix pauci incolumes nomen ſervamus, & arma,
Quos cæde ex illa miſeros Pharos inſula claudit.
O, celerate moras: ferus omnia poſſidet hoſtis.
Hæc ille, & plura aſcendens, coramque precatur.
Euſtachius doluit dictis narrantis acerbis.
Hem quinam furor Iſacidas, quæ triſtis Erinnys
Invaſit! nunquamnè inſanæ in cordibus iræ
Defervent! nunquam revomunt ex ore cruento,
Ni ferro rabiem, ſectis per vulnera venis!
Ferrum igitur tanti reſecet contagia morbi.
Tùm ſic Romano. Sed quæ fiducia noſtri
Vivit apud cives? quæ ſtat ſententia menti,
Quive animi ſenſus? Contrà sìc ore Latinus.
Nobis tuta fides, regni dum ſumma poteſtas
Nos penes, & noſtris armis ſocia arma tulere.
Pluribus & pulchro libuit ſuccumbere letho.
Vi modo mutati, aut ſtudio, Judæa ſequuntur
Signa omnes, illis ſubſunt, & jura capeſſunt.
Ductores primi Abdenagos, & perfidus Hemat,
Et Lucuæ ſubit Abdias: qui nocte ſilenti
Portarum vigiles perimunt, altiſque potiti
Ur-

(*l*) *Romani Ægypto præſidentes, Hebræorum ſævitiem Euſtachio narrant.*

Urbis Alexandri caſtris, muriſque, ruinam
Immanem (veluti irriguo cum flumine latè
Intumet, & campos rupto objice Nilus inundat)
Romuleam in gentem traxere, necique dedere
Quot paſſim occurrunt per tecta, & aperta viarum.
His domitis, alias ferro bacchata per urbes
Excidium infelix ſanè gens perfida, & omnes
Pœnarum facies exercet. Tergora coſtis
(Horreſco referens) his diripit, arbore vivos
Illos diſcerpit gemina, ſpirantia flammis
Corpora commendat, liquidovè bittumine volvit.
Nunc, quoniam ultricem claſſem, gentemque Latinam
Ipſorum exitio venturam fama canebat;
Ægypto è tota puppes, celereſque triremes,
Ærataſque rates ſibi curavere parandas.
Jam natat in tuta claſſis ſtatione Canopi.
O, pereat gens dira: unum, & commune levamen
Iſacidûm clades nobis, umbriſque Quiritum,
Et fera tergentur toto contagia mundo.
  Hæc ille: Euſtachius placidæ dare membra quieti,
Quodque bruvis ſupereſt noctis, traducere ſomno
Omnibus edicit, quos matutina volentes
Cogeret ad belli ſtudia: Hinc cum conjuge parta,
Et geminis hilaris natis ſe in tecta recepit,
Per tranſtra effuſi nautæ, tacitoque ſoluti
Membra ſopore, animis curas repulere moleſtas.
Somno cuncta ſilent; verùm ipſa ſilentia vobis,
Chriſtigenæ, haud animo talem genuere quietem.
Stat caſus memorare omnes, lacrymiſque profuſis
Alternare vices, duroſque afferre labores,
Quiſque ſuos, meritaſque Deo perſolvere grates.
Hæc illos cura ante alias agit una, doceri

Ut

Ut ſuperis animos monitis, ut pectora juſſis
Præbuerint, quæque in ſtygias Conſtantia fraudes,
Quæque tot in duris fuerit Tolerantia rebus.
It reliquum noctis media inter gaudia, & hymnos
Ebria perfuſi dulcedine pectora, cives
Voce vocant ſuperos, cæloque, Ereboque potenti
Mille Deo referunt laudes, ſuſpiria mille.
Et modo vota novant, Fidei modo ſcuta reſumunt,
Effunduntque animo flammantia dicta viciſſim.
Poſt ubi jam tremulo diſcedunt lumine ab alto
Sidera, & exurgens rebus fert prima colorem
Aurora; aerio reboant fera cornua cantu.
Undique: ad arma viros, ad bella laceſſere certant
Sæpe acies; ad Alexandri jam mænia cogunt.
Apparet medio Romana in gurgite claſſis,
Fæta armis. Lucuas venientem aſpectat ab altis
Mænibus, & ſocios ventura ad bella laceſſit.
Haud ſinit Abdenagos; inſtructis navibus illi (*m*)
Obvius occurrit, prohibetque appellere terris.
Chriſticola æquoreo in campo certamen agendum
Ductor ut eſſe ſibi vidit, claſſemque propinquam;
Haud mora lunato ſocios jubet ordine in hoſtem
Se ferre, & gemina componere fronte carinas.
Hoc pariter Judæus agit; qui dirigit uſu
Se facili, torquetque habiles in prælia puppes.
Cum Romana phalanx ſtabili ſe robore ſiſtat,
Majorique ſuos tutetur mole Quirites.
Jamque in conſpectu ſe ſe tenet utraque claſſis,
Et tantum eſt inter pelagi, tranſcurrere niſu
Quantum remorum poſſunt. It ad æthera clamor; (*n*)

Pup-

(m) *Abdenagos cum claſſe Romanis occurrit.*
(n) *Naumachia.*

Puppibus occurrunt puppes, roſtra obvia roſtris;
Commixti trepitant remi, rimiſque fatiſcunt
Robora, & undifluo denſantur in æquore pinus.
Coniiciunt alii manicas, nexaſque catenas,
Inter ſeque ligant puppes, quò cominus enſe
Fulmineo ingeminent ictus, atque aſpera certo
Vulnere tela cadant, & inevitabile fatum.
Aſt alii ardentes flammas, tædaſque liquentes
Intorquent, mediiſque micant in fluctibus ignes.
Hic ſimul immiſto cum ſanguine tela per undas,
Perfractoſque vides remos, laxaſque rudentes,
Membraque,ſemianimeſque artus,clypeoſque.jubaſque
Innantes, & ubique neces, & ubique tumultus,
Et gemitus ferro morientum, undaſque vomentum,
Sanguineamque ex ore animam, ſeu pectore rupto.
Interea, nimia fervet dum cæde virorum
Æquor, & armorum ſtrepitu circumſonat æther;
Obvia Romuleæ fertur prætoria puppis
Hebræûm, nexamque tenet mordacibus uncis.
Hinc micat Abdenagos ſublimi è puppe, Quiritum
Maximus hinc Ductor media inter millia: fixa
Alter in alterius jactant dum lumina, cogit
Actutum conferre manus ſimul æmula virtus.
Concurrunt, validaque manu magno impete utrinque
Contorquent jaculum,clypeiſque utrumque retundunt,
Fulgenteſque rotant geminatis ictibus enſes.
Non hoc Euſtachii proles ſinit utraque: Laudis
Hoc nato [Theopiſtus ait] concede precanti [o]
Quodcumque eſt,genitor;me palmæ, aut ſuffice morti.
Nequaquam, mea laus omnis; mihi (Agapitus inquit)
Hoc

(o) *Æmulatio laudis inter fratres.*

Hoc liceat, germane: aciem in me verte; rebellis,
In me, crudelis, rabiem, inſanumque furorem.
Hæc illi, & triplici jactabant cuſpide mortem.
Efferus inſtanti turbæ non cedit Hebræus,
Non virtus, rabieſque finit. Dum ſuſtinet omnes,
Se medias lapſu præceps immittit in undas,
Et ſimul evulſique fori labuntur, & ingens
Turba, ratis lateri nimio quæ pondere prona
Incubuit: lethi tùm dira apparet imago.
Hos necat unda, trahunt illos ſolida æra ſub æquor.
Adnantes alii mediis figuntur in undis,
Dum dextris prænſare rates, remoſque tenere,
Dumque obluctantur ſocias aſcendere naves.
Accipit undantes fluctus prætoria, deſunt
Quà tabulæ, è coſtis turba illabente revulſæ.
Suſcipit immiſſi Vulcani in aperta rapaces
Viſcera paulatìm morſus, nullaque domandos
Arte, licet medio confidat gurgite, pinus;
Et gemino infelix obſeſſa abſumitur hoſte.
Aſt animi fidens Hebræus ad ima volutus
Æquora, non manibus clypeum, ferrumvè relinquit:
His ſimul, & validis ſubter maria alta lacertis
Incolumis tranans, ſuperas emergit ad auras,
Apparetque procul, Maurus quà contutit hoſtem
Automedon. Tendunt alacres ad ſidera palmas
Judæi, certantque Duci ſuccurrere nanti.
Verùm ſe ante alios ſublimi è puppe coruſco
Proiicit in pelagus gladio munitus, & illum
Barbarus incurſu ſubito petit. Ilicet hoſtem (p)
Abdenagos tenet, & mediis luctantur in undis.

Et

(p) *Automedon, & Abdenagos in mediis undis luctantur.*

Et modo ſumma petunt, imas modo rurſus arenas.
Donec ſubter aquas melior ſervare repreſſam
Longè animam Maurus, compreſſis faucibus, illum
Prenſantem ſaxa, & fluctus rabido ore bibentem
Deſtituens, ſoſpes navem conſcendit amicam. (q)
Hinc jam Romuleas anceps victoria dudùm
Vertitur in partes. Flammis populatur, & undis
Claſſis Idumææ pars major: ab hoſte recedit
Pars celeri effugio, remiſque juvantibus altam
Invadunt Cyprum, terris, opibuſque potiti.
Victor Alexandri Euſtachius fæſtinat ad alta
Mænia, ubi propius metari caſtra Quietus
Juſſerat ante urbem, pediteſque ad bella parari.
Verùm, quæ, ſociis victis, pelagoque fugatis,
Spes demum Iſacidis tanto in diſcrimine reſtat?
Illis ſuſpecti cives, ſocia arma negantes
Romuleam in gentem, venturaque damna timentes
Et ſcelerum facies, & mens jam conſcia culpæ,
Et tenues vires, & caſtra hoſtilia circùm
Prorſus terrificant animos, nervoſque remittunt.
Eſt animus tamen Abdiæ vi cedere nulli, (r)
Et tentare viam, tantis ſupereſſe periclis
Qua valeat, duræque vices evadere ſortis.
Ad mare, quà pinnæ caſtrorum, atque edita cælo
Turris ab Eòò venientem littore Phæbum
Mane ſalutabat, primaque in luce nitebat;
Limen erat, cæcique aditus, & mænia ſubter
Pſeudothyron, ſeptique diu duro obiice poſtes.
Hàc ſe per noctem, caſtris, muriſque relictis,
Proripuere fugæ, tenebriſque faventibus, omnes (s)

 Ex-

(q) *Abdenagos perit.* (r) *Abdiæ virtus cedere neſcit.*
(s) *Abdias cum ſociis noctu fugit.*

Extceſſere citi Iſacidæ: ſi fortè daretur
Finitimos accire viros, ſocioſque rebelles.
Lucifero exorto, belli terraque, marique
Dant ſigna Auſonii, muroſque invadere tentant.
Fœderis oſtendunt cives ſpectabile ſignum
Summa ex arce: preces mittunt, veniamque precantur.
Deceſſiſſe hoſtes, nullas ſe in crimine tanto
Admoviſſe manus, Dominoſque habuiſſe Quirites,
Affirmant. Quibus auditis, ad littora claſſem
Adverti Euſtachius ſociis, hoſtemque requiri
Imperat, occultos lucos, valleſque tenentem.
Continuò emotis caſtris è mœnibus, illos
Marcius inſequitur per littus, & antra vagantes,
Dehinc equitum celeri per compita Lucius ala
Exturbat, jam jamque tenet, dum tuta Canopi
Mœnia adire parant, hoſteſque cavere ſequentes.
Hic ubi nulla urbis ſupereſt fiducia, circùm
Vallati hinc pelago, hinc muris, venientibus ultrò
Hoſtibus obiiciunt ſeſe, pugnamque laceſſunt.
Undique circumdant alacres, inſtantque Latini,
Arma movent, miſcentque manus, cæduntque, necantq;
Nec requies; ſumptis miles non ceſſat ab armis
Romanus; fuſi Hebræûm ni ſanguinis undas
In pelagus fluere irriguas per littora cernat,
Et nullum ſupereſſe, gemat qui cæde ſuorum.
Lictoreos ſubter ſcopulos, ubi cæca fatiſcunt
Antra, fugit tantum Abdias, urgente Latino.
Protinus inde Cyprum, paucis comitantibus, atra
Sub nocte aſcendit, celeri vectante liburna.
Heu quot flamma vorax, nitidus quot ſuſtulit enſis (t)

Quot

(t) *Strages Judæorum in Ægypto.*

Quot foveis cumulavit adhuc ſpirantia cæcis
Membra furor ! pendent avibus data præda marinis
Exta , aut annoſo ſtillantia robore , celſa
Aut è rupe , feris dulces ululantibus eſcæ .
Felix ille fatis , patriis cui contigit oris
Oppetere , & primo cecidit ſub marte peremptus .
Hoſtibus Euſtachius cæſis , rebuſque ſecundis ,
Niliacos latè populos , Memphæaque regna
Romano parere jugo cognovit , & omnes
Inſidias procul eſſe loco , procul eſſe tumultus .
Dum lapſas reparat tranquilla per otia vires
Miles , & optatum curſum dant claſſibus auræ ;
Militibus lectis turres , & caſtra per omnem
Imperat Ægyptum muniri , altiſque parari
Aggeribus muros latè , & cuſtode tueri .
Dividit his arma , his veſtes , & opima peremptis
Erepta Iſacidis ſpolia , & ritè omnia firmat .
Dehinc ubi dant facilem pacata per æquora venti
Acceſſum in Cyprum ; ſolvunt retinacula nautæ , [u]
Atque antennarum protendunt cornua Cauris .
Scinditur immenſum tonſis , & puppibus æquor ,
Et circum albenti ſpumant aſpergine fluctus .
Jamque excelſa Pharos longè , Ægyptuſque recedit ,
Et Libycum legitur prorſus mare : labitur undas
Per medias ærata abies , nocteſque , dieſque
Tutum radit iter : non terræ , aut ulla morantur
Littora , nec faciles ponunt ſua flamina venti ,
Ni Cypri optatis puppes potiantur arenis ,
Hic ſcelera Iſacidûm Euſtachio , cædeſque pateſcunt
Romulidum immanes , ſciſſiſque ingentia membris

(u) *Claſſis Romana in Cyprum expeditio.*

Antra ferè cumulata, cruceſque, enſeſque nefandi,
Civibus erepti cenſus, & jura pudoris,
Vi temerata, Deûm phana & ſpoliata rapinis.
Mens fuit Auſoniis primùm ſubmergere ponto
Hoſtiles naves, ſubitiſve incendere flammis,
Nè rurſus tentare fugam, atque evadere detur
Inſtantem pœnarum imbrem, ſævamque procellam.
Jamque opus aggreſſi; plenis ſubit oſtia velis
Dum Lapathi Romana phalanx, adverſaque tentat
Reiicere arma armis, primiſque inſiſtere terris;
Marcius in placidas furtim Salaminis arenas [x]
Per noctem celeri portans incendia pinu,
(Tantùm laudis amor mortalia corda perurit,
Ingenuique audent animi!) contorquet Hebræam
In claſſem ardentes mediis in fluctibus ignes,
Succenditque rates. Laxis furit acer habenis
Vulcanus, piceæque volant per inane favillæ.
Nec jam finis, edax ni cuncta abſumpſerit ignis.
Tum redit ad ſocios, lætuſque ea geſta recenſet.
Non fama Hebræûm ductori, ac certior author
Rettulit Abdiæ, trepidos jam mœnia circum
Luſtranti ſocios, venturaque ad arma paranti (y)
Vi male collectos inviſa ad prælia cives.
Hic ſubito rerum caſu perculſus, & acri
Depreſſus mœrore animum, cæcuſque furore,
Horrendùm exclamans, dedit has e pectore voces.
Ecquis erit, Sors dira, modus! quæ meta malorum!
Num funus, num ſumma dies! en aſſequor ultrò,
Excipioque libens. Socii, irrumpamus in arma;

Quod

(x) *Marcius Judæorum claſſem comburit.*
(y) *Abdias de claſſis incendio mæret.*

Quodque placet fato fiat, moriamur, iniquo.
Hæc ait, & toto effervens ad littora fertur
Agmine, & inſtantes agitur furibundus in hoſtes.
Jam dedit horribili ſonitu tuba ſigna, per auras
Jam crebræ reſonant voces, jam prælia miſcent,
Prælia non finem, requiemque habitura dolorum,
Ni ſol Heſperiis condat ſua lumina in undis,
Et tegat Iſacidûm nox ultima fata tenebris.
Incaluere animi hinc illinc: coit undique virtus,
Et furor, & ulli parcendi inſana voluptas.
Horror ubique, ruunt equites, pediteſque, duceſque
Permixti: feriuntur equi, cadit ictus amica
Miles ſæpe manu, fratriſque in viſcera frater
Ferrum ſæpe jacit; nec damni inquiritur author.
Vertit in Iſacidas enſem vi ductus ad arma [z]
Cyprius, & Latio pugnant pro nomine cives.
Occidit hic Hemat, validumque in pectora telum
Vulturis immittit moriens: Barcæus Alanum
Elias perimit, Pyleumque, Omolemque, Lyrimque.
Sed vitare diu Romanæ cuſpidis ictum
Haud valuit: cervicem ex humeris huic Marcius enſe
Abſtulit averſo, truncumque reliquit arenæ.
Ammonem jaculo transfigit Agapitus, armos
Abdonis gladio, qui jam rapuiſſe Latinas,
Occiſo Tyrrheno, aquilas impune ſuperbit.
Ille manu valida geminato vulnere pronum
Sternit humi, raptatque animam, partumq; trophæum.
Ocyus in Lucuam Theopiſtus it altera proles
Euſtachii, & curſu venientem fertur in hoſtem.
Mox telum intorquens, lato ferit inguina ferro,

(z) Cyprii in Hebræos vertunt arma.

Deturbatque ſolo, & ſtricto petit enſe jacentem;
Protinus objecto clypeo ſe protegit audax,
Erigit inque pedes Lucua, inſtantiſque reflectit
Vulnera. Tumrabido ſacras ceu taurus ad aras
Saucius ore fremens; Romane, quid, improbe gaudes?
Vivit adhuc Lucua, & coram te ad bella laceſſit.
Hæc ait, & totis connixus viribus haſtam
Torquet in adverſum; vagina tum eripit enſem
Fulmineum, & crebris rapidus premit ictibus hoſtem.
Excipit in duro Theopiſtus tegmine telum,
Illoque obtectus ferientis ſuſtinet ictus,
Conatuſque omnes, circumque ſupraque tuetur.
Inde ubi defeciſſe videt certamine longo
Hoſtiles vires, jam tandem erumpit, & oras (a)
Subter fulgentis clypei mucrone coruſco
Transfodit æratas crates, & pectus Hebreo.
Hoc demùm amiſſo, Abdiæ ſpes omnis, & ardor
Deficit, effractas vires timor anxius urget,
Et latè exitium infelix, ſtragemque ſuorum
Conſpicit, & nulla arte ſuum ſuperabile fatum.
Ergo mentis inops medios moriturus in hoſtes
Fertur, & Euſtachio viſo ſic irruit haſta.
Fata obſtant, Placide, & nobis via ulla nocendi? (b)
Jam ſupereſt: venio periturus; at accipe tandem
Munera Hebræorum, partæque inſignia palmæ.
Torſerat, hæc dicens, jaculum, diſtrinxerat enſem,
Et magno Euſtachium præceps invaſerat hoſtem
Impete. Jam crebris agitat, pulſatque Latini
Ictibus arma Ducis, ſcindit jam vertice criſtas,

Et

(a) *Theopiſta Lucuam interficit.*
(b) *Abdias in Euſtachium.*

Et rauco armorum tinnitu incenditur aer.
Suſtinet umbone Euſtachius ſua tempora circùm
Ingentem belli nimbum, cautuſque moratur,
Hoſtilis donec rabies, atque illa ſuperbi
Effera vis animi paulum deſervet, & ardor:
Mox altè ſublatum enſem contorquet, & orbem
Diſcindit clypei, telumque, genuque ſiniſtrum,
Et ſpumantis equi demiſſum ex aure lupatum.
Hoc ſonipes ictu arrectum ſe tollit, & inter
Conſertas fugiens acies, jam liber habenis, (c)
Præcipitem rapit Hebræum, atque effundit arena,
Concidit, & valida munitus cuſpide dextram,
Ingenteſque trahens mediis è millibus artus,
Repit humi, parvæque caſæ ſubit oſtia tutus. (d)
Reptantem Euſtachius, teliſque micantibus illum
Circumfuſus agit Romanus miles; at omnes
Enſe ille ante fores pugnantum ſuſtinet ictus.
Et modo ſub pectus ferit hunc, modo transfodit illi
Molle latus; traditque virùm tot millia letho;
Ingentem donec circum ſibi cladis acervum
Ceu vallum attollat, ſeque intra limina claudit.
Auſonidûm impatiens fremit impetus, aſpera longè
Tela manu jaciunt, nervoque agitante, ſagittas:
At fruſtrà; ſe conſpectu trahit ille frementum,
Illuditque iras tutus, voceſque minantum.
Tum face correpta Euſtachius: Gens Itala, dixit,
Eja, age, flammiferæ abſumant incendia tedæ,
Quem non ferri acies, non vis potis ulla domare.
Mille micant facibus, mixtoque bitumine dextræ,

(c) *Abdias ab equo præcipitat.*
(d) *Abdias in caſam ſe recipit.*

Et ſimul iniciunt : volitant ſuper alta favillæ (e)
Tecta, vetuſque urunt ruptis laqueare tigillis.
Undique collucent flammæ ; ruit omnis, & atro
Condit Hebræoruum domus inclyta geſta ſepulchro.
Hic belli Iſacidum finis ; ſic ultima claudunt
Fata per Ægyptum, Cynaræaque littora Cypri.
Tum rerum Euſtachius, caſtriſque armiſque potitus,
Perfidiæ inſano pœnas ex hoſte recepit.
Quin etiam æternis ſancitum eſt legibus, oras (f)
Quicunque has errore viæ, fatiſve repulſi
Hebræa de gente, mari, terraque ſubirent ;
Unum his ſubſidium, nullam ſperare ſalutem.
Scilicet ingenium hoc illis, hæc fata fatendum eſt
Indita conſilio Superûm, moreſque nefandos ;
Omnibus ut jactati odiis ſcelera omnia tentent,
Nec ſe impunè ferant : certam ſibi figere ſedem
Deſperent, fuſoque luant malefacta cruore.
Tanti eſt indigna ſuſpenſum ex arbore Chriſtum
Dimiſiſſe neci. Solvent per ſæcula pœnas.

Finis Libri Quinti.

EU-

(e) *Abdias cum caſa comburitur.* (f) *Lex Romanorum in Judæa.*

EUSTACHIADOS

LIBER SEXTUS.

ARGUMENTUM.

Dum Romam redit Euſtachius jam victor, acerbam
Trajani mortem deflet; tunc Ælius illum
Excipit, & comites, ſuadetque ad Sacra Deorum.
Chriſticolæ renuunt, damnantur ad ora ferarum.
Hinc illæſi aſcendunt taurum: ſic morte triumphant.

VEr erat, & variis tellus gemmata per herbas
Floribus exactæ damnabat frigora brumæ,
Nimboſamque hyemem: ridebant prata ſereno
Lumine, & in placidis ludebant fluctibus auræ.
Tùm res imperio Pharias, totamque Latino
Euſtachius perſtare videns in fædere Cyprum;
Nullos belli uſquam motus, nullaque rebelles
Suſpicione timens; placidas dat claſſibus auras, (a)
Littuſque Idalium, terraſque urbeſque relinquit.
Carpathii emenſus, Cretæique æquora ponti,
Proſpicit hic everſa Rhodi miracula, & urbes,
Dehinc circum errantes quondã, ſparſaſque per undas
Ægæo in magno Cycladas: tùm mœnia pinnis
Inclyta Methones ſurgunt, ſylvæque Zacynthi.
Hic venti poſuere, diem, ventoſque faventes
Eripuit ſimul occiduas converſus ad oras
Defeſſis jam Phœbus equis. Languentibus undis,
In-

(a) *Euſtachius victor Romam redit.*

Inſurgunt nautæ remis, ſtructamque per æquor
Jonium impellunt claſſem, comitantibus aſtris,
Et tenebris durum intendunt æquare laborem.
Sollicitis ſtudium accendit, vireſque miniſtrat
Remigibus patriæque amor, & ſpes cara ſuorum,
Et prædæ, laudumque decus. Jam nocte fugata,
Romanis longè ſcindentibus æquora tonſis
Apparet curſu findens maria alta phaſelus.
Fit propior: Siculus Rhegino è littore merces
Inſtitor ob lucrum Lybicas devectat ad oras;
Tres ubi Phœnicum, triplici circumdata muro
Præcingit Tripolis, gremioque amplectitur, urbes.
Ex hoc Euſtachii mæſtas pervenit ad aures
Haud dubius rumor, totumque allabitur agmen. (b)
Nimirum æterno vigilantia lumina ſomno
Trajanum clauſiſſe Ducem, cogente veneno,
Incertum, an putri confectum intercute lympha,
Atque Seleuciæ cineres liquiſſe ſepulchro:
Hujus & imperium, Plotina operante, regentem
Antiochiæ acies Adrianum obiiſſe, viceſque, [c]
Et ſimul inſignem ſpoliis, ſceptroque ſuberbum
Romuleas petiiſſe arces, ſedemque Latinam.
Ingemit his Heros dictis, ſenſuſque ſub imos
Mœrorem occludens, dedit hos è pectore queſtus. [d]
Proh! quod abeſt tibi, Roma, caput! quem dira tulere
Fata Ducem! quantum periit tibi luminis, inter
Aurea Tarpejo radiantis ſidera cœlo!
Te quibus exuviis toties oneratus adivit!
Ille jugo Cilicum ſubiecit colla vagantum: [e]

Ar-

(b) *Nuncius de morte Trajani.* (c) *Adrianus Imperator.*
(d) *Euſtachij mæror ob mortem Trajani.* (e) *Laus Trajani.*

Armenios, Parthoſque tuis, Dacoſque triumphis
Addidit, extremaſque plagas fulgentis Eoi.
Memnonias devexit opes, pretioſaque Phœbi
Atria, & auriferi populatus Hydaſpis arenas;
Unde triumphali fulges redimita corona.
Invidit fortuna, tui nè inſignia ſceptri,
Romanas aquilas, ſolem per utrumque videres.
Verùm quæ pietas? quod miti in corde fovendæ
Juſtitiæ ſtudium? Quàm danda ad præmia venâ
Divite prompta manus! non illum, Roma, ſequetur
Alter, & armorum, & ſceptri moderamine major.
Crebreſcunt ſubitò voces, claſſemque per omnem
Inclyta Trajani ſurgunt præconia laudum,
Et vario paſſim extinctum ſermone requirunt,
Concelebrantque Heroa: armis modo fortia narrant,
Imperiique decus, palmaſque ex hoſte receptas:
Et modo qui virtutis amor, quæ gratia linguæ,
Quæque è munifica tulerint congiaria dextra.
Hac vice ſermonum curvant luctamine remos,
Caſtigantque moras. Madidis percrebuit Auſter
Flatibus, & facili comitatur carbaſa curſu.
Quo duce Trinacrios fines, Cumæaque tangunt
Littora, & optatis tandem potiuntur arenis.
Chriſtiadum adventu tremere omnia viſa repentè[f]
Idola in templis, effictaque ſigna Deorum.
Denegat obſtupido ſortes, reſponſaque Vati
Expectata pater Faunus: pallentia miris
Obtulit ora modis, Myſtiſque petentibus alto
Admonitu ſuaſit trepidus, juſſitque Quirinus
Euſtachium, natoſque feris, atque igne necandos,
Chri-

(f) *Euſtachii adventus in Urbem.*

Chriſticolas claſſi, totaque ex urbe fugandos.
Cæca ſuperſtitio furialibus aucta venenis,
Nè pereant ſua thura, focis nè ſacra profanis
Deficiant, dubiis animos ambagibus angit.
Eumenidum inſidioſa cohors, truculentior hydris [g]
Nunquam accincta ſuis, tota bacchatur in urbe,
Et varia Auſonidum pertentat imagine mentes.
Prima venenatos occultans crinibus albis
Serpentum nodos Alecto, atque ora nefanda,
Plotinæ in vultus amitæ ſe vertit aniles, [b]
Et ſenſim ſecreta Adriani tecta ſubivit.
Mox ait: Ergo inſtat Placidi, Dux inclyte, in urbem
Adventus felix: Placidi terraque, marique
Victoris poſt Iſacidum tot ſtragis acervos!
Gratulor hoc equidem, ſuperiſque faventibus, auctum
Te fore viſurum imperium confidimus orbi
Par magno, nomenque tuum fulgentius aſtris.
Verum age [quò facili fortunent numina vultu
Res noſtras, civeſque animis majora refectis
Gaudia concipiant] divis impenſius æquum eſt
Sollemnem celebrare diem, & perſolvere grates.
Et Placidum, tantæ nobis pars maxima laudis
Quo ſurgit, merito dignari munere honorum,
Certe inter primos Romana per agmina fulget
Ille duces, pietate incertum, an clarior armis.
Hæc ideo retuli; duri ad certamina Martis
Namque illum conjux cum mitteret Ulpius olim
Hebræam in gentem, tales ſpondebat honores,
Et Placidum decus imperii, roburque vocabat.

Hæc

(g) *Conatus Dæmonum in Euſtachium.*
(b) *Alecto in Plotinam converſa ad Hadrianum.*

Hæc illa; & dictis contrà ſic Ælius orſus. [l]
Vera equidem, quæcumque refers, chariſſima; Virtus
Cognita ſat Placidi, & proavûm bene geſta ſuorum
Prò patria, & quanto irrorarint ſanguine campos.
Jamque triumphales illi parat inclyta currus
Roma; coronatis Capitolia ad alta quadrigis
Ipſe vehendus erit, plauſu, meritaque corona.
Poſthac non illi cenſus, non regia deerunt
Munera purpureos inter, ſacrumque Senatum.
Amiſſas fato ſtat opes, faſceſque ſuperbos
Inſtaurare, novoſque etiam ſuper addere honores.
Quippe mihi in partem ſceptri vel pace, vel armis
Conſilio gravis accedet, dextraque potenti.
Nec fuerit mihi cura Deûm poſtrema; Tonanti,
Gradivoque patri Eoi referantur odores,
Imbuat & tepido ſollemnes plurimus aras
Sanguine taurus: ovis balet data victima cultro,
Et totam invigilent funalia feſta per urbem.
Ipſe adero,& mecum Placidus, Proceresque,duceſque,
Et reſonas delubra dabunt ad ſidera voces.
Quandoquidem mihi parta quies; nec regia tangunt
Ulli ſceptra metus, Placido ſuperante rebelles.
Hæc illi inter ſe ventura ad feſta parabant.
Parte alia ingentes animo movet impia curas
Tiſiphone: in volucrem niveis truculentior alis [k]
Hæc induta, velut ſupera demiſſus ab arte
Fertur ad Euſtachium ſtellata in veſte miniſter.
Atque illi hymniſonas Domino, diviſque ferenti
Rite preces, natis unà, & cum conjuge, tales
Edi-

(l) *Ælius Adrianus ad Plotinam.*
(k) *Tiſiphone in Angelum ad Euſtachium.*

Edidit ore ſonos ſimulans. Quæ maxima vobis,
Chriſtigenæ, exoptanda forent, jam ſidera præſtant.
Gaudete: in portum, inque auguſta palatia lætos
Illa triumphali vos ſuſcipit omine Roma,
Quæ quondam exutos opibus, clariſque Priorum
Nudatos titulis pro Chriſto errare coegit;
Complexus jam mille parat, plauſuſque parentum,
Cenſuſque, ingentemque domum, famamque perennem.
Sat gemuiſſe: frui libeat jam pace, faventiſque
Ore Ducis, largaque manu condigna parantis.
Sint procul, o, lacrymæ, duræque incommoda fortis,
Aſſiduæque Deo voces: Hæc ille quietis
Dona dat in terris, & præmia grata, perennis
Indicia emeritis pacis poſt funera dandæ.
Pretereà magnum vobis jam Roma triumphum
Rite parat: jam thura Jovi, patrique Quirino
Sunt aris adolenda ſacris, tauroque litandum,
Hoc vobis patrare ſcelus pia dogmata Chriſti
Jure vetant, Numenque docent unum eſſe colendum.
At ne Chriſtiadas odia execranda Tyranni
Vos agitent, meritũque negent hac parte triumphum;
Fas vobis adſtare ſacris, fas thura Quirino,
Sollemneſque offerre preces, & vota Tonanti.
Sed tantum ore tenus; vero tamen omnia mente (l)
Sunt referenda Deo, rerum qui cuncta gubernat.
Sic licet humano cultu Regeſque, Duceſque
Excolere, atque iterare preces vel poplite flexo;
Dumodo mente Deo tanti referantur honores.
Hæc vos accipite: ad meritas accedite palmas,
Vivite felices, ſic tutius aſtra petetis.

Hæ

(l) *Alludit ad opiniones damnandas quorundam.*

Hæ illa, & ſubito ex oculis velut aura receſſit.
Obſtupuit primo Euſtachius, ſecùmque monentis
Mandata Aligeri dubio ſub pectore volvit.
Suadet enim hinc facies, voceſque vocantis ad aſtra.
Hinc agitat vetuiſſe Deo perſolvere dignas
Ore preces, ſuaſiſſe polo, ſuperiſque potiri
Sedibus auguſtæ mediis in fluctibus aulæ,
Pax ubi nulla, ſcelus nimium, & genus omne malorum.
Hoſtiles demum inſidias, & Dæmonis aſtus (m)
Percipiens, afflante Deo, de pectore tales
Miſit in authorem fraudum inter gaudia riſus.
Quiſquis es haud noſtro libeat doluiſſe labore.
Sponte vides nos cuncta pati, & gaudere dolendo;
Et pejora ſequi, mortemque optare volentes.
I, pete Tartareis, poſſis quos fallere, in umbris.
Sic varia Eumenidum illudens conamina, & artes
Chriſticola impavidus, ſuperiſque faventibus, Heros
Vitabat, victorque Deum in ſua vota vocabat.
Interea optato ſiſtunt ſe in littore puppes,
Jactaque de prora tutas tenet anchora morſu.
Jamque equites, peditumque manus funduntur ad oras,
Fulgenteſque armis acies, criſtiſque coruſcæ; [n]
Et feſtam inſtructo, populo ſpectante, per urbem
Ordine procedunt, Divumque ad templa feruntur.
Adfuit ingenti matrum comitante corona,
Plotina, ut quondam Theopiſtæ in pectore amorem
Quæ magnum ſervabat adhuc: nec defuit aureo
Ælius & ſceptro, & Tyrio ſpectabilis oſtro;
Et ſacra regifico complet ſollemnia faſtu. [o]

Jam

(m) *Euſtachius dolos intelligit, & illudit.*
(n) *Triumphus Euſtachio paratur.*
(o) *Sacra Jovi in Capitolio pro victoria.*

Jam lecti proceres, jam cives undique tota
Viſendi ſtudio ad portum, aut delubra Tonantis
Urbe ruunt, plauſuſque parant, Placidumque ſalutant.
Facta, atque infecta augentur, perque ora virorum
Crebreſcunt proavum tituli, faſceſque, togæque,
Exactæque vices ſortis, caſuſque ſuorum.
Creſcit opus, ſtygiæ vires, ſtudiumque Sorores,
Effuſoſque acuunt animos ad gaudia: totam
Latè illæ obſedere urbem, ſuadentque cientque,
Inque hominum facies multæ vertuntur, & omnes
Ad ſimulacra Jovis cogunt: hoc poſſe triumpho
Sperant Chriſticolas falli, plauſuque moveri.
Namque hæc Tartareis ſupereſt virtutibus anſa
Pugnandi, hæc una extremas ſubtexere fraudes
Spes patet, & Chriſti fidos ſic vincere rentur.
Aſt Heros, ut cuncta animo concepit in alto,
Atque hæc præſentit longè in ſua damna parari;
Nec currus poſſe inſtructos, cultuſque Deorum
Effugere, aut aliter tantum prævertere crimen,
Matura quàm cæde ſua, quàm cæde ſuorum; (p)
Præſcius has ipſis coram dedit ore loquelas.
Ventum ad ſupremum, conjux, natique, laborum eſt.
Exitus hic rerum, merceſque optabilis: aptat
Roma triumphales currus, quibus aurea nobis
Limina adire poli liceat, ſemperque beari.
Gaudete, & veſtro vigeant in pectore vires
Pro Chriſto, unde ſalus nobis, & conſcia virtus,
Proque Fide, & fuſo decoranda ſanguine palma,
Sidereos inter proceres: jam tempus agi res.
Hoc, chari, illud erat voluiſſe per omnia vitam
Pro-

(p) *Euſtachius ad natos, & uxorem.*

Protrahere extrema, & ſtygias ſuperare catervas.
Hæc ait, atque altos ſuadenti aſcendere currus (*q*)
Fauſtino (Octaviæ hic claro de ſanguine, & ipſi
Charior Euſtachio, & conſanguinitate propinquus)
Complexu refovens dextram, ſic inquit: Honores,
Quos mihi, chare, parant, plauſuſque,& gaudia cives,
Sint tibi, ſintque aliis; etenim meruiſtis; honorum
Nobis culmen erit vilem hanc per tela, per ignes,
Perque omnes facies pœnarum abrumpere vitam
Pro Chriſto, qui certa ſalus, ſpeſqne unica noſtri.
I precor, atque Duci referas hæc dicta ſupremo:
Hoc ſcelus Euſtachiū auſurum nè expectet,& unquam
Culturum effigies, ſimulacraque vana Deorum.
Chriſtiadæ nos, æternis qui nomina faſtis (*r*)
Scripſimus, & patrios ritus, & Numina quondam
Reſpuimus. Simul his dictis proceſſit & omnes
Affatur circum proceres, ſacrumque Senatum,
Dimittitque acies, veniamque precatur amicam.
In ſomnis velut incautas ubi percuit aures
Ænea, & ingenti diſplodit machina bombo.
Horreſcit primò ſanguis formidine, pulſat
Impete mox valido venas, & viſcera: terror
Inſiliens fertur per corda agitata tumultu.
Vox ignara loqui eſt, ſtrepitumque inquirere neſcit.
Sic tum Fauſtino effugit mens lapſa repentè,
Non monitus proferre valet, non lingua querelas:
Horrificat rerum novitas inopina, Deorum
Hinc pietas movet, hinc cognati ſanguinis ardor
Euſtachii, & ſcelus, & Ducis implacabilis ira,
Romulidumque incenſi animi, ſtrageſque, neceſque:

K Om-

(q) *Euſtachius triumphum recuſat.*

(r) *Chriſticolam ſe eſſe fatetur.*

Omnia ſunt oculis illius ; & omnia torquent .
Demum ubi compoſitis animis data copia ſeorſim (s)
Fandi , hos accedens miti dedit ore loquelas .
Quæ tibi mens, Placide? & quæ animo ſententia?quale
Excidit ore ſcelus ? quæſo cede , ultima quando
Hæc via volvendi indignis tua geſta tenebris ,
Teque , tuoſque neci [avertant quod numina] dandi .
Nec tua dicta , vide , in Divos ſint talia ; grates
De parta quibus emeritas ſtat ſolvere palma .
Nè fruſtra , Fauſtine , (ſubit Theopiſta) morando (t)
Surdis verba feras,neque habent modo dicta regreſſum.
Et nos Chriſticolæ , & noſtræ ſententia menti
Fixa eſt prò Chriſto quæcumque extrema paciſci .
Si ſapis , æternæque movet tua corda ſalutis
Cura , potes noſtris prudens accedere votis .
Jam tempus ; libeat perituri , & inutilis ævi
Commoda nobiſcum , falſoſque relinquere Divos .
Una fides , Deus unus , opes ſuper aſtra perennes
Qui ſpondet, vaſtique orbis moderatur habenas .
Diditur intercà ſenſim per mœnia rumor ,
Et delubra Jovis penetrans , Ducis attigit aures . [u]
Diſſimulat primò ille , leveſque dat ore cachinnos ;
Novit enim expertus quales comitentur honorem
Inſidiæ ; inſignemque virum pietate , vel armis
Improba quæ exagitent odia : at dum certior inſtat
Nuncius , & totas fertur vox una per ædes .
Advocat extemplò quoſdam, dehinc turbidus : Ite ,
Ite , ait , & nexus tantarum exolvite rerum .
Quænam etenim Placidum cepit dementia ? vanas
Eſſe

(s) *Fauſtinus ad Euſtachium .*
(t) *Theopiſta ad Fauſtinum .*
(u) *Adrianus illos eſſe Chriſticolas fit certior .*

Eſſe hominum nugas rebar, falſoſque tumultus;
Sed jam crebreſcunt voces: Si vera (quod abſit)
Fama, manus illi vinclis poſt terga revincti
Aut huc, aut cæcum potius ducantur in antrum.
Gratior hàc numquam Divis cadet hoſtia ferro.
Illi abeunt, Hadriano aperit tum cuncta, veneno
Suadente invidiæ, Æmilius, remque ordine pandit.
Euſtachio infenſus quondam à juvenilibus annis
Æmilius; quos augendi ſtimularat honoris
Idem amor, atque eadem laudum veſana cupido.
Nobilitate pares, ſed non virtute: ſuperbas
Hic coacervat opes, faſceſque obſtentat avitos;
Frigida ſed bello dexra. Ille audentior armis,
Romanoſque inter longè imperterritus omnes.
Ægrius hinc odiis, tacitoque in pectore tabo
Invidiæ, Euſtachii adventum damnarat, & auſus,
Et plane obliquo proſpexerat omnia viſu.
Ergo opportunum nactus jam tempus, iniquo
Chriſtiadum referens Hadriano dicta, Deorum
Advocat ultrices pœnas, exaggerat iras,
Inſtigatque, acuitque Ducem, ſtragemque miniſtrat.
Egreſſus trunco, aut præruptæ rupis hiatu
Immanis veluti ſerpens, quem paſtor abegit
Fortè ſolo captantem auras, linguiſque micantem,
Et longo ſinuoſa pedo, ferrovè cecidit
Terga: ille horrendum virus vomit ore cruento,
Horreſcit ſquamis, & ſibila mittit ad auras,
Turgeſcitque, acuitque iras, ferrumque remordet.
Haud ſecus impatiens dictis Hadrianus, & ira (x)
Percitus, accelerat Divum ſollemnia, mandat
Qui Placidum teneant, ſecumque excogitat amens

(x) *Adrianus ira excandeſcens.*

Queis agitet pœnis miſeros, ſatietque furorem.
Chriſtiadæ interea monitis, precibuſque Quiritum
Aggreſſi fruſtra, tandem comitantibus illis,
Atque ſatellitio in medio ducuntur in antrum:
Sacra execrantes Divûm, lætique docentes,
Ingenitum, Genitamque ſimul cum Flamine prolẽ, [y]
Numen idem, & vigil incluſos cuſtodia ſervat.
  Ecce autem exacto ſollemnis munere pompæ,
Crebra per ora virum fauſto Ducis omine voces
Victorem celebrant Hadrianum, atque ære tubarum
Mœnia reſponſant, colleſque, & Tibridis undæ.
Tum ſimul excelſas illum comitantur ad ædes.
Vix alta attigerat regalis limina tecti;
Chriſticolas duci Æmilio in ſua tecta vocatos
Imperat, & vinctos ſiſti in penetralibus altis.
Ille volat juſſis, ductoſque ante ora Tyranni [z]
Siſtit, & accitos ſolio ſublimis ab alto
Ælius immenſam rabiem ſub pectore condens,
Sic placido vultu, dictiſque affatur amicis:
Te, Placide, excelſos renuiſſe aſcendere currus, (a)
Te contemnere opes, faſtuſque, & prœmia laudum,
Grãde quidẽ eſt facinus. Vix priſca, aut noſtra ſecundũ,
Cui poſſis conferri ætas, & ſæcula tradunt:
Et jam fama canet celſos meruiſſe triumphos,
Et te magnanimo ſpreviſſe hos corde paratos.
Ne tamen hoc tanti facias, ut digna ſupernis
Cœlicolis te ſacra vetet prò munere ad aras
Solvere. Non pietas, non jura, nec ipſa Quiritum
Relligio hoc patitur, menti haud mihi ſederit unquam.
Hoc

(y) *Chriſticolæ in Carcerem trudantur.*
(z) *Chriſticolæ ad Adrianum deferuntur.*
(a) *Adrianus ad Euſtachium.*

Hoc primum: auſpicibus Divis Roma inclyta regnat.
Ipſis primus honos: neglecto accedere curru,
Ad delubra pedes poteras, quod gratius illis,
Et nobis, longeque tuum memorabile nomen.
Præcipue patrios fines, dulceſque tuorum,
Poſt longa exilia amplexus cum victor adires,
Et ſane incolumis, ſummoque acceptus honore.
Verum age, fauſta tuis arrident omnia rebus.
Inſtaurare novos ritus, nova ſacra Tonanti
Sollemni dabitur pompa, cum Lucifer ortus
Ter dabit Oceano: vel ni ſollemnia curas,
Vos mecum ante aras ſolvetis munera Divis
Supplicibus votis, meritoſque feretis honores.
Me Duce, de veſtris manibus non thure carebunt
Cælicolæ, & vobis deerit non gratia facti.
Exigit hoc pietas, Divum inviolabile Numen.
Ælius hæc: contra Euſtachius tum pectore conſtans,
Tum ſuper afflatus cæleſtis Flaminis aura,
Hæc breviter: Nè quæſo, Ducum inviĉtiſſime, damnes
Quos merito ſimulacra Deũ, & Phlegethontis iniquas
Effigies ſpreviſſe vides. Nos fortiter, inquam,
Sprevimus; & verum Numen de Numine Chriſtum
Conſtantes animo colimus, Dominumque fatemur.
Hinc te, nè fruſtra tanto indulgere labori
Oro, velis, nevè indignum nos poſſe morando
Expectes patrare nefas: labor irritus omnis.
Heu ſcelus, heu crudele nefas! (Hadrianus iniqua
Percitus exclamat rabie, & flammantia cælo
Lumina contorquens, Tyrios ſibi ſcindit amictus.)
Chriſtiadæ voſnè! & tantum ſcelus excidit ore
Mè coram? Placide, inſanis, an pectore compos,
Fare, hæc effutis? nec quæ execraris, inique,

Numina, nec noſtri imperii te ſumma poteſtas
Terruit? en Hadrianus ego: mihi plena facultas
Eſt necis, & vitæ. Cuinàm venerabile noſtrum
Præterea nomen? quæ tanti inſignia ſceptri?
Eja agite, in cæco manibus poſt terga revinctis
Carcere ſerventur denſa caligine ſepti.
Nec veniæ ſpes ulla, Deûm ni thuris ad aras
Munera contulerint, ſacroque cruore litarint.
His dictis, aciem torvam, & veſtigia raptim
Tranſtulit inde: minis tremere omnia viſa ſedentum
Pectora, magnanimique duces, ſoliumque ſuperbum,
Sed non Chriſticolis animis exterrita virtus. (b)
Hi ſimul alternis ſtimulos hortatibus augent,
Et Chriſtum celebrant, lateque pio aurea complent
Atria ſermone, & mortem obteſtantur, & inſtant.
Sic omnes obſtruſum iterum coguntur in antrum.
Hinc varium exoritur dictis per ſtrata viarum
Concilium, dubio pendent examine mentes.
Hi præclara Viri, proavûmque inſignia jactant,
Pacatoſque animos reddunt: his ſuſcitat iras
Chriſtiadûm nomen, ſpretique iniuria ſacri,
Captiviſque necem ingeminant,ſtragemque minantur.
At qui ætate graves, meritiſque, aut ſanguine juncti,
Illos aggreſſi, in melius convertere ſuadent
Conſilium,& ſimul ante oculos, patriamque,fidemque,
Inſanamque Ducis rabiem proponere tentant.
Sed fruſtrà; immotos animis, certoſque videres
Dura pati, mortemque queri procul eſſe morando.
Jamque dies alter proceſſerat, Ælius unum
Mente id verſat adhuc, quà vi, quavè arte tenaces
Chriſtigenûm excutiat ſenſus, Chriſtumque revellat
Illo-

(b) *Chriſticolarum conſtantia in Fide.*

Illorum ex animis, Divûmque inſtauret honorem. (c)
Regia jam Proceres, Primoſque ad tecta frequentes
Convocat, hos inter Fauſtinum, hiſque ordine pandit
Omnia, tùm potior quæ ſit ſententia poſcit.
Hi monitis tentare illos, verbiſque diſertis
Suadent, hi poſſe illecebris, doniſque moveri.
Æmilius verò, & Divûm quos cura remordet,
Accelerant mortem, ferroque, atque igne domandum
Id ſcelerum genus eſſe volunt: redolentius altis
Non fore cælicolis ſacrum, nec gratius ullum.
Ulpiadæ tamen hoc placuit, [tanti inclyta quando (d)
Geſta viri, victoris honos, nomenque, genuſque
Hinc urgent, illinc Superûm veneranda poteſtas]
Judicium differre, diem quò ad aureus ortu
Lucifer extulerit ternum; ſuadentis amici
Donec concipiant monitus, & corde volutent
Omnes pœnarum formas, mortemque nefandam.
Et jam cura datur Fauſtino, ut ſæpe monendo
Chriſtiadum duras tentet deflectere mentes.
Abnuit hic prorſus dictis, voceſque, preceſque (e)
Effudiſſe diù memorat: Superoſque, Jovemque
In cœlum extenſis manibus teſtatur; inanem
Eſſe operam; nec poſſe minis, precibuſve moveri.
Immo ait: Experto, Proceres, mihi credite, nuſquam
Chriſticolas inter, majori & pectore, & auſu,
Qui ſimulacra Deûm ſpernant, lethumque ſubire
Pro Chriſto affectent, facile inveniſſe. Quid inquam,
Ipſe intentatum dictis, monitiſque reliqui?
Quidvè minis? rapidis ventorum obnoxia flabris

(c) *Concilium Procerum ſuper Euſtachium.*
(d) *Adrianus Ulpius dictus a Trajano.*
(e) *Fauſtinus ad Adrianum de Euſtachio.*

Sic quercus, validiſque undis ita ſaxa reſiſtunt.
Talibus exarſit dictis Hadrianus, & omnes
Voce vocans Superos, Chriſtum execratur, & ipſam
Chriſtiadum gentem; penitus quam perdere ferro. (f)
Suppliciiſque, feriſque ardet, ſtragemque minatur.
Æſtuat, impatienſque oculos huc volvit, & illuc.
Nulla mora, immiti commiſſa eſt cura miniſtro
Impaſtis miſeros, ſæviſque leonibus omnes
Offerre, immani lacerandos ore ferarum.
Non potis inſanas iras Plotina, nec ullus
Aſtantum lenire Ducis, cauſaſque morandi
Nectere: vileſcunt tituli, voceſque precantum,
Dum ſævæ Eumenides ſtimulant, dumque inſtat Averni
In ſtragem converſa manus, ſuadetque, movetque.
Felices animæ, furor in quas efferus arſit, (g)
Et rabies commota, Erebo ſuadente, Tyranni;
Vos mecum, quæ dura pati, quæque arma parari,
Et quibus auxiliis inviſam hanc linquere molem
Corporis evenit, ſuperaſque aſcendere ſedes,
Dicite, vos toleraſtis enim, & memorare poteſtis.
Nam me deficiunt horrore in pectore vires.
Ergo tortor adeſt, ſævique faceſſere præſtò eſt
Juſſa Ducis; crebris reboant rugitibus antra
Languentum, dapibuſque diu ſicco ore carentum,
Mordentumque fame valvas, & vincla, leonum.
Effertur Chriſto gens fida è carcere, vinclis
Vincta manus, ſed plena Deo, ſacroſque ſereno
Alternatim hymnos vultu, & pia carmina miſcens.
Et tota hinc illinc ſequitur gens Romula fuſim
Haud oculis ſiccis, caſum miſerata nefandum.

Ut

(f) *Adrianus Chriſticolas ad leones damnat.*
(g) *Invocatio Authoris.*

Ut ventum, auguſti ſpatioſa ubi mole theatri, (*h*)
Et caveis mirum artis opus, pinniſque ſuperbit:
Utque intus patuere cavæ, ingenteſque cavernæ,
Surgenteſque ſolo villoſa in membra frementi
Ore feræ; querulum circùm ſtrepit undique murmur
Spectantum, indignumque necis genus execrantum.
Jam ſolidas lictor valvas munimine verſo
Pandere nixus erat, miſeriſque noviſſima vitæ
Hora abſcedebat; volvens cum lumina circùm
Euſtachius, tali ſociis eſt voce locutus.
Jam, nati, jam, fida mihi Theopiſta, ſupernam (*i*)
Eſt nobis iter in patriam: ſummi atria cæli
Suſpicite, aurato ſtridens in cardine limen
Panditur. Hic invicta Fides, hic ænea nobis
Vis opus eſt animi. Placeat tibi, magne Deorum,
Accipere has animas, noſtræ hæc litamina vitæ,
Quanquam haud intemerata, piiſvè oblata miniſtris.
O, quos errorum tenebris, & faucibus Orci
Eripere, atque tuæ Fidei dignatus amico es
Lumine complere, infandiſque arcere periclis;
His liceat ſpectare tuos per ſæcula vultus,
Colloquiiſque frui Superum, cæloque potiri.
Vos quoque, magnanimi Heroes, qui ſanguine fuſo
Prò Chriſto, æternam meruiſtis morte coronam,
Suſcipite has voces, noſtraſque intendite vires.
Aſcendere preces alti ſolia aurea cæli,
Et pia Cælicolum tetigerunt pectora Divûm.
Conveniunt, ſoliumque adeunt Regnantis, & omnes
Ritè preces Domino prò illis effundere certant.
Tùm ſic Omnipotens: Quæ ſtat ſententia menti, (*k*)
Cæ-

(h) *Amphiteatrum.* (i) *Euſtachius ad filios, & uxorem.*
(k) *Deus ad cælicolas de Euſtachio.*

Cælicolæ? quidvè orantes ſolia aurea circum?
Euſtachiine preces movere ante ora ferarum
Hortantis ſocios, voſque ad ſua vota vocantis!
Non opus eſt veſtro auxilio: ſpectate palæſtram
Certantum validè, votiſque augete triumphum.
Illis alma Fides tantùm, & Patientia nunquam
Deficiant: his ceptum opus, his comitantibus exit.
Et jam ſerta parant, conſumptoſque igne coronant.
Hæc tantùm Altitonans: vario tùm carmine lætos
Divi concelebrant hymnos, lætique recedunt,
Et nitida alternis reſponſant vocibus aſtra.
Eccè autèm, mandata operis queis cura, per amplum
Incedunt Divæ Circum, mediæque vagantur.
Et prior alma Fides, curru ſubvecta ſuperbo. (*l*)
Olli tegmen erat niveum, niveumque tegebat
Sidereos vultus; & zona argentea caſtos
Cingebat lumbos: lævâ micat aurea vitæ
Arbor, & ætherei dextrà dat pocula ſucci.
Hanc circùm Aligerûm, ſpecie, & candore nivali
It glomerata cohors, mulcens quæ vocibus aures,
Vivat ſancta Fides, iterat, plauſuque coronat.
Agnovere Deam Heroes; tùm poplite flexo, (*m*)
Salve Dia, (ſimul geminis ad ſidera palmis,
Conclamant) ſalve alma Fides, proleſque Tonantis
Indubitata: gradus, o dirige ad æthera noſtros.
Et comes extremos venias ſuperare labores.
Agnovere feræ, cæcis quas lictor ab antris
Expediens, rabido in Divos impellere morſu,
Humaniſque explere epulis contendit, & urget.
Jamque horrore aliò aſtantes convertere vultus
Romani, trepidare metu, flendoque replere
Vo-

(l) *Deſcriptio Fidei triumphantis.* (m) *Chriſticolæ ad Fidem.*

Vocibus antra piis, & flebilibus lamentis:
Cum rabidi, veluti humanos (mirabile viſu)
Conciperent ſenſus, miſſa feritate, leones,
Procubuere pedes circùm, & coluere fatentes
Chriſticolas pleno ore Fidem, Chriſtumque vocantes.
Per noctem ut lepores flammis, crebroque tumultu,
Quos pavidos venator agit per rura, repente
Attoniti curſu in medio formidine ſiſtunt.
Illi agitare pedes nequeunt, ſed lumine capti
Obtuſos refricant oculos, pedibuſque laceſſunt.
Sic rabido dudum ore feras, cervice reflexa,
Jam mites horrere dapes, proniſque videres
Pectoribus Divûm ſacras attingere plantas
Lambendo, & veſana pio jejunia cultu
Explere; hinc redeunt ad nota cubilia lætæ.
Conclamant ſtupidi, crebraſque ad ſidera voces
Romani emittunt, talique in luce coruſcam
Proſpiciunt denſa ſepti caligine Divam.
Quin aliqui tenuem accipiunt in pectora formam
Hortantis Fidei, nutuque ad ſumma vocantis
Gaudia Chriſticolas; celeri ſed præſcia raptu
Diſcutit Alecto, acceptamque reſolvit in auras.
Et media exclamat. Stygias, o, pellite fraudes,
Urite ſuppoſitis Circæas ignibus artes.
Dixit, & excelſas Hadriani aſcendit ad ædes.
Huc ſimul è tota vario volat urbe tumultu
Nuncia fama, Ducique refert inſueta ferarum
Portenta, arrectoſque animos, & mobile vulgus,
Chriſtigenum geſtis anceps. Hic Ælius irà
Æſtuat, & magnam triſti furit ore per aulam,
Sævàque in Chriſtum jactat convicia lingua.
Tùm jubet extingui tandèm, flammiſque cremari
Chri-

Chriſtiadum genus inviſum, magicamque catervam.
Atque ait: Immiteſnè feræ attrectare nefandæ
Gentis membra negant! pereat gens perfida, cœlo,
Terriſque infenſa, & ſtygiis damnanda caminis.
Ite ergò, atque omnes meritis conſumite flammis:
Ite, cavi vocitent crebris mugitibus æris,
Quem ſperant, Chriſtum, auxilium, vitamque laturum.
Taurus erat, duroque ingens conflata metallo
Machina, in authorem conſtructa, operiſque magiſtrum.
Tormenti genus in miſeros tua ſacra ſecutos
Dogmata, Chriſte, Erebi ut pœnas paterentur, & ignes.
Et magis horrerent gentes tua nomina, dirum
Quo magis exitium, lethumque enorme maneret:
Hunc ergo duci taurum crudelior ipſa
Sævitie Circi in medium de more Tyrannus
Imperat, incluſoſque cava ſuccendier alvo.
Nulla mora eſt dictis; forma, aſpectuque minaci,
Intentis collo vinclis, facilique rotarum
Illapſu trahitur monſtrum, mediumque locatur.
Robora tùm circùm, tædæque, & inutilis annis
Materies nemorum, flammiſque aptiſſima, fertur,
Subiiciturque utero, pingueſque e ſulphure faſces.
Interea gens fida Deo, & jam firmior ipſo
Prodigio, eluſiſque Ducis conatibus, unà
In Cælum ſublata oculos (nam vincula palmas
Arcebant) Te, ſumma hominum, Divûmque poteſtas,
Vocibus extollit, geminatque ad carmina voces.
Perque orbem totum veræ incrementa precatur
Undique vulgandæ Fidei, votiſque fatigat.
Nec tamen Euſtachius dictis, monitiſque pepercit:
Namque ubi Romulidas arrectis cordibus omnes
Eventu, ſpectantumque agmina circumſpexit;

Audacter vocem attollens, ſic increpat ultrò.
Diſſimulare etiam poteris, gens Romula, veri
Noſſe Dei portenta? etiam tibi ſculpere Divos
Saxa, hominum dextra multo fabricata labore?
Spectaſtis nos incolumes ante ora leonum,
Inque humiles ipſos (Fidei quæ mira) bidentes
Indutos. Qua veſtra, viri, caligine tandèm
Lumina, queis Erebi denſantur corda tenebris?
Conſulite, o, dum tempus adeſt, propiuſque faventem
Accipite æterni, veſtrum eſt jam, Numinis auram.
Non ope nos ſtygia compreſſimus ora ferarum,
Non nos carminibus: Divis hæc fingite veſtris;
Verùm opus hoc Fideì; Summũ, immenſumq; tenemus
Qua verum eſſe Deum, qui temperat omnia, Chriſtum.
Ipſe Deus mediis pueros fornacibus olim
Reddidit innocuos: & nos per flumina tutos,
Perque maris toties, terræque pericula duxit.
Quin ſolo poſſet nutu reſtinguere flammas,
Candentemque bovem tenues diſſolvere in auras,
Annuit at noſtris precibus, nè funere ab ipſo
Nos raperet, licet id vobis videatur iniquum,
Attamen æternam pariet per ſæcula vitam.
Sponte ergo hoc patimur, pro Chriſto ſponte litamur.
Sed jam tempus erit Cives, cum veſtra nepotes
Jura refellentes, ſimulacraque vana Deorum,
Chriſtum omnes ſimul eſſe Deum, magnique Parentis
Progeniem agnoſcent veram, mundique Satorem,
Rectoremque colent. Reges huic ſacra parabunt,
Imperiumque, ipſumque caput, pia vota, dicabunt
Ante aras; Urbi huic, toti & dominabitur orbi.
Tùm nec apud cives forſan, nec plurima latè
Per loca, perque urbes erit hoc ſine nomine lethum.

Hæc

Hæc memorans Heros, alacris cum conjuge caram
Hortatur prolem, lætoſque ad funera ducit.
Ibant dulciſonis modulantes vocibus hymnos,
Non ſecus ac pugiles promiſſa ad præmia pugnæ;
Poſtquam hoſtes medio ſtravere in pulvere victos.
Jamque adſunt, taurumque vident, & cominus ignes,
Cùm jubare inſueto media inter cornua tauri (*u*)
Virginis os divæ, & cæleſtis ſurgit imago.
Illa oculis feſtiva micat, vultuque beato,
Atque triumphali frontem redimita corona.
Aurea margaritis fulgens, & jaſpide veſtis,
Inque imos demiſſa pedes, quamque aurea circùm
Zona laborato mediam cingebat Eòò.
Non niveo deerant baccata monilia collo,
Nec manibus deno ſerpentes ordine gemmæ.
Aligerum ſtipata cohors, ſigniſque coruſcans
Hanc circum: hic vepres, ſtructis hic lora flagellis.
Ille jugum, ferrumque gerit, crateſque, faceſque:
Saxa tenent alii, & pænarum inſignia mille,
Mille necis genera informis, facieſque dolorum.
Agnovere Deam Chriſto gens fida, ſereno
Accepere illam vultu, plauſumque dedere.
Tum Theopiſta prior tales dedit ore loquelas.
Salve, Diva, diu comes, & dux addita nobis;
Virtutum regina, poli regna in via tantùm
Cui reſerare datur: ſummi vel amica Tonantis
Unigeno in terris nato; Patientia ſalve.
O, libeat noſtros facili ſpectare dolores
Lumine, & extremo faveas, bona Diva, labori.
Exiguæ nobis vires; tù ferre dediſti
Hactenus; o, perferre ſinas quodcumque ferendum eſt.

Hæc

(u) *Patientiæ triumphantis deſcriptio.*

Hæc illa; at roſeo dedit hæc Patientia vultu.
Eja agite, emeriti Proceres, aſcendite: veſtræ
Nectentem palmas dextræ, & diademata fronti
Noſcite me: hoc pretium, & decus immortale laborum.
Non aliter datur ætherias aſcendere ſedes.
Vos rerum, mundique vices, vos aſpera Ditis
Prælia, vos firmis animis metuenda Tyranni
Verba, truceſque feras experti: è pectore mœſtum
Mittite jam (tantum ſupereſt hæc meta) timorem.
Si grave flammarum robur, ſi incendia mentes
Corripiunt, viſuque horrent ſpectacula tauri;
O properate gradus, patriam, felicia regna,
Accipite ætheriam, fidi, ſedeſque paratas.
Hæc tantùm Diva, & facile aſcendentibus alvum
Tauri oſtendit iter, dextràque in clauſtra volentes
Ænea tollit humo, æratoque in carcere claudit. (o)
Subiicitur foliis diverſa ex parte paratis
Ignis, & inſtructas paulatim corripit eſcas:
Mox volitat, rapiduſque rogos, alimentaque circum
Devorat, & Tauri ingentes complectitur artus.
Hic piceas primo vacuum per inane favillas
Evomit, undanteſque atra caligine fumos.
Tum ſtrepit ignivomus, duriſque incendia damnat
Oſſibus immiſſa, intenſoque ardore coruſcat.
Conclamant trepidi, querulaſque ad ſidera voces
Aſtantes mittunt, Divorum ea fata dolentes,
Immitemque Ducis rabiem execrantur iniqui.
Hic genus, & tituli, proavûmque inſignia belli
Crebreſcunt Placidi, Trajanæque ordine laudes.
Sunt qui conſtantes animos, invictaque Divûm
Pectora mirati, ſuperoque afflamine moti,

Con-

(o) *Chriſticolæ in Taurum Æneum includuntur.*

Conſilium in melius vertere, & vana Deorum
Spernentes Idola, Deo ſua vota, preceſque
Effudère, Fidem amplexi, & pia dogmata: tandèm
Haud veriti effuſo teſtari ſanguine Chriſtum [*p*].
At vos, felices Animæ, ſuper aſtra volantes,
Aligerùm comitante choro, plauſumque movente,
Omnes victrici dextras, & tempora palmâ
Comptæ, aſcendiſtis ſedes ſine fine beatas.
Jam te, Chriſte, frui, præſentiaque ora tueri
Sidereos inter proceres datur: optima merces
Curarum, quotque in terris Patientia firmo
Corde dedit, dux fida, diu tolerare, dolorum.
Hæc ego, quæ ad patrii flaventia culta Galeſi (*q*)
Florentes inter lauros, muſaſque canebam;
Nunc Romam inviſens, Dive, & tua templa, ſolutus
Voto, conſtituo ante aras. Precor accipe munus,
Quidquid id eſt, & corda ſimul cum munere, ſacro
Quę tibi ſynceri in monumentum, & pignus amoris.

FINIS.

(p) *Apoſtrophe Auctoris .. ' Divos.* (q) *Galeſus fluvius propè Tarentum.*

ERRATA.	*CORRIGE.*
Pag. 12. ver. 13. vita eſt	viſa eſt.
v. 25. juſtiſſimus	cultiſſimus.
29. v. 10. minimum	nimium.
42. v. 21. conſenſu	conſcenſu.
v. 26. ruptis	& ruptis.
53. v. 21. moves	mones.
64. v. 28. iniquas	iniqua.
66. v. 21. opet	opes.
70. v. 17. pene	penes.
76. v. 21. Rhenumtque	Rhenumque:
77. v. 10. navibus	naribus.
88. v. 25. increpitant	increpitat.
115. v. 29. recaleant	recalent.
120. v. 16. ſtigia.	veſtigia.

Si quæ alia, prudens Lector, corrige.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINE

MAG 2008959